


L. No 360







UNIVERSITAS CATHOLICA  
IN OPPIDO LOVANIENSI.


S. FACULTAS THEOLOGICA.  
1863—64.

Nº CCLXXXI.

*Reverendissimo viro Doucing  
Domino Jacobo Hennens,  
Ord. S. Sylvestri et S. Sepulchri Ep.*

*A.*

DE JURE ECCLESIAE IN UNIVERSITATES  
STUDIORUM.



DE

JURE ECCLESIAE IN UNIVERSITATES STUDIORUM

**DISSERTATIO HISTORICO-CANONICA,**

QUAM CUM SUBJECTIS THESISIBUS,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

ET AUSPICE BEATISSIMA VIRGINE MARIA,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

**PETRI FRANC. XAV. DE RAM,**

SUE SANCTITATIS PRÆLATI DOMESTICI, PROTON. APOST. AD INSTAR PART.,

S. C. IND. CONSULT., ECCL. METROP. MECHL. ET PARIS. CAN. HON.,

S. TH. ET SS. CANN. DOCT., ORDD. LEOP., AQUIL. RUBR. BORUSS.,

S. MICHAEL. BAV. ET SAX. ERNEST. EQ., ORDD. CHRISTI

ET ISAB. CATH. DEC., ACAD. CATH. ROM.,

REG. BELGII ET BAVARIE SODALIS,

ET CONSENSU S. FACULTATIS THEOLOGICÆ,

**PRO GRADU DOCTORIS SS. CANONUM**

IN UNIVERSITATE CATHOLICA, IN OPPIDO LOVANIENSI,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDO,

PUBLICE PROPUGNABIT, ASSENTIENTIBUS ORDINIS SUI SUPERIORIBUS,

**FR. CESLAUS MARIA DE ROBIANO,** PRESBYTER ORDINIS

FRATrum PRÆDICATORUM, PROVINCIÆ GERMANIÆ,

**JUR. CAN. LIC.**

---

Diebus XXX mensis Junii, IV et VII mensis Julii, ab hora X ad I,  
anno MDCCLXIV.

---

**LOVANI**

**EXCUDEBANT VANLINTHOUT ET SOCH,**

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

APPROBATIO ORDINIS.

---

Attenta relatione duorum Revisorum Ordinis nostri a nobis designatorum super opera R. P. Fr. Ceslai Mariæ de Robiano, Jur. Can. Lic., cui titulus *De jure Ecclesie in Universitates Studiorum*, eandem, pro gradu Doctoris SS. Canonum in Universitate catholica Lovaniensi rite et legitime consequendo, typis mandari permittimus.

FR. PIUS MARIA ROUARD DE CARD,  
S. Theol. Doct. et Prior Provinciæ S. Rosæ Ord. Præd.

Lovanii die 1 Junii 1864.





REVERENDISSIMO PATRI

FR. ALEXANDRO VINCENTIO JANDEL,

S. THEOLOGIE PROFESSORI,

TOTIUS PRÆDICATORUM ORDINIS MAGISTRO GENERALI,

DISCIPLINÆ REGULARIS PROMOTORI ET CUSTODI PRUDENTISSIMO,

STUDIORUM FAUTORI VIGILANTISSIMO, PROVIDISSIMO,

PATRI ÆQUE AC PATRONO INDULGENTISSIMO,

LIBERALISSIMO,

IN PII GRATIÆ OBSEQUII TESTIMONIUM;



ILLUSTRISSIMO, REVERENDISSIMO,  
DOCTISSIMO  
PETRO FRANCISCO XAVERIO DE RAM,

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PAPE IX PRELATO DOMESTICO,  
PROTONOTARIO APOSTOLICO AD INSTAR PARTICIPANTIUM,  
UNIVERSITATIS CATHOLICÆ LOVANIENSIS  
RECTORI MAGNIFICO,

&

VIRO EXIMIO

HENRICO JOANNI FEYE,

S. THEOL. ET SS. CANONUM DOCTORI,  
SS. CANONUM IN CATHOLICA UNIVERSITATE LOVANIENSI PROF. ORD.,  
STUDIORUM SUORUM MODERATORI,

*hanc suam lucubrationem devotissimo animo*

D. D. D.

*Auctor.*

## PROOEMIUM.

Si locus spectetur variis in hominum societate existentibus institutis tribuendus, ea profecto quæ ipsius hominis nobiliores altioresque rationes pro fine proprio habent, fastigium obtinere absque dubio pronuntiabitur.

Inter hujusmodi itaque instituta studiorum Universitates potissime recensentur.

Ecclesia autem ipsa, quanto Universitates recte institutæ utriusque, et ecclesiasticæ et civilis, societati decori ac bono sint, ab ipsis horum institutorum exordiis perspexit; sicut et hominum christiana societas intellexit Universitates absque Ecclesiæ auctoritate et cura proprii præcipuique finis incertas esse. Idcirco, in seculis et terris Fidei dominantis, Ecclesia, ex qua Universitates vere sunt enatæ, illis mater fuit liberalissima, amantissima; vi sua,

suoque lumine ipsas veluti informavit, verique universi, omnium scilicet bonorum intellectus in unum finem supremum tendentium, instituta esse curavit. Quæ quidem omnia, ubi nexus ille cum Ecclesia ruptus est, prope sunt disjecta. Hæc autem exponere, et Religionis atque Ecclesiæ cum studiorum Universitatibus intimam rationem, Ecclesiæque circa eas jus et potestatem vindicare, hac nostra dissertatione conati sumus.

Nec labor nec sincerus in Ecclesiam Sedemque Apostolicam animus defuit; quæ autem ex scientiæ debilitate et scribendi imperitia parum apte protulerimus, ea, quæso, benigne lector, ut non inhumane excipias sed patienter sustinere velis.

---

## CAPUT I.

### DE VI MOMENTI HISTORICI IN QUÆSTIONE DE UNIVERSITATIBUS STUDIORUM.

Ecclesia Dei societas est cum hominibus per Deum-Hominem, unde, ut ipse Christus Mediator, et æternitatis et temporis habet rationem.

Etenim quæ per hoc totius Christi donum Ecclesiæ conferuntur (1) alia interna sunt, alia externa. Interna autem ipsa, veritas scilicet et sanctitas, licet initio a Christo tradita, juxta varia tamen temporum ac rerum momenta, ducente Spiritu Sancto, magis magisque definiuntur atque emergunt. Secundum externam vero suam constitutionem etiam a Christo traditam, Ecclesia profecto magis miscetur seculo, seculique attingitur eventibus, quam pro natura sua interna, tota divina, dotibusque veritatis et gratiæ. Unde, si non exiguam subinde formæ exterioris mutationem experta sunt ea ipsa instituta quæ corpus Ecclesiæ externum propius efficiunt, v. gr., episcopatus, quamvis divinatorum ea sint et institutionis et officii, nullamque essentiæ suæ facere possint jacturam, multo magis contingere id debuit illis institutis, quibus Ecclesia non proprie constituitur, sed juvatur quia vel directe ab ipsa informantur, vel cum ea sunt connexa. Eorum quidem institutorum pleraque Ecclesiam potius exornant, quam per-

(1) Cf. Eph. V, 25.

ficiunt; tempus ea induxit, tempus forsân ea auferet, maximis mutationibus temporum mutationes et ipsa afficere possunt.

Inter ejusmodi humana instituta vix aliquod invenitur, quod ad utramque, et sêmpiternam et terrenam, hominum societatem ac naturam nexu tam intimo referatur, quam Universitates studiorum. Vendicando tradendoque vero universo destinantur, excolendas habent, cultura veluti suprema, hominum mentes et ingenia, omnibusque nobilioribus Ecclesiæ, civitatis, vitæ usibus ipsos conformandos. Corpora sunt societatis grandiora, tam constitutionem ipsarum si spectes, quam finem. Vero et bono utrique, naturali nempe et ei quod est supra naturam, patrocinari illæ debent, et, si recte perspexeris, inter instituta quæ neque Ecclesiam neque rempublicam proprie efficiunt, nullum forsân reperies, vel Ecclesiæ similis, vel majoris pro republica ponderis, vel præcipuis hominum commodis fovendis magis idoneum.

Ex ipsis his causis quæ tam præclarum in hominum societate studiorum Universitatibus locum tribuunt, modo quodam eminenti expertæ hæ sunt vim illam momenti historici, quam tantî esse pronuntiavimus in plerisque enucleandis quæstionibus canonicis. Si eadem ætate in variis regionibus existentes Universitates studiorum, immo ejusdem regionis aliæ si cum aliis conferantur, communia quidem nonnulla omnes exhibent lineamenta; exterioris tamen sæpe potius similitudinis quam necessitudinis intimæ accuratus indagator hæc esse perspiciet. Hoc quoad accidentia maxime tum locum habuit, quando potestas secularis, necessarium nondum reputans sub tutela sua incurvare quidquid vitæ est et intellectus, omnibus mentis et ingenii viribus divitiisque liberam se pandendi viam relinquebat.

Institutorum hujusmodi, nobiliori, ut diximus, modo, in bonum singulorum et omnium tradendo et vendicando vero

universo destinatorum, fata magnam partem pendent a moribus, notionibus, persuasione varia cujusvis gentis aut ætatis.

Si cui persuasum est, verum, licet intellectum præcipue informandum habeat, nexu tamen necessario colligari cum bono, sponte is concludet, magistrum veritatis pravum pravitæ sua mentiri communi altiorique notioni veri universi, omneque utut grande institutum, instituendis hominum animis consecratum, mancum esse, si mores inibi negligantur; immo juvenes, si orrentur veritatibus scientiisve peculiariibus, virtutis autem capiant detrimentum, detrimentum capere veri altioris atque universi, veritatis scilicet illius communis, quæ exsuperat omnem rerum veritatumve cognitionem singularium.

Si credis Verbum divinum, quod erat in principio apud Deum, vitam veram esse et vitam esse lucem hominum; si tibi omnia per Verbum facta sunt, Ipsumque, quum sit splendor gloriæ et figura substantiæ Patris, omnia tibi portat verbo virtutis suæ (1); Verbum divinum si tibi ita est « tota simul ars Patris (2) » et omnis verbi, entis nimirum creati et exemplar et auctor, atque veritatis supernaturalis et naturalis comprehensio vivens et communicans, — scientiarum tunc universitas tibi erit aliquid unum, vi intima, licet in plurimis oculos nostros latente, colligatum, vi autem vitæ unitatisque, quæ per varias doctrinæ partes in unum lumen et robur adducit intellectus et voluntates discipulorum suorum.

Dogma certum si quis complectitur Verbum divinum, caro factum, Ecclesiæ soli commisisse tradendos hominibus servandosque integros thesauros doctrinæ et virtutis quæ sunt supra naturam; Ecclesiæ juxta ipsum erit jus, ei soli

(1) Hebr. cap. 1.

(2) S. August. l. VI, *De Trin.* cap. 10.

divinitus proprium, docendi doctrinam Christi, invigilandi-  
que ne ab ullo lædatur aliorum doctore.

Secundum Ecclesiæ doctrinam hominis rectitudo hæc est, ut ipsius facultates naturales a vero et bono naturali tendant in verum et bonum quod est supra naturam et ab ipso perficiantur, quiescantque demum in ipso. Ad hoc vero, juxta eandem doctrinam, ipse homo status naturæ integræ, nedum lapsæ, evehi non poterat, nisi per gratiam. Exinde gratia juxta theologos supponit naturam, sed et natura exigit gratiam, totusque porro naturalis, quem dicunt, ordo cum supernaturali necessario perfectionis vinculo connectitur. Talia qui dogmata amplectitur, aliunde vero considerat gratiæ ministram esse Ecclesiam, nonne jam illico statuet instituta, quæ totum hominem excolendum respiciunt, esse ab Ecclesia vel fundanda vel dirigenda, vel saltem, et quoad disciplinas disciplinamque, et quoad magistros, arctissime ab ipsa invisenda, corrigenda ac veluti informanda?

Ita sentienti totius creationis finis est gloria Dei per salutem hominum, et quidquid in mundo est, huic fini inservire debet. Ipsa quoque respublica nihil poterit statuere quod per se juri huic et fini tam omnium quam singulorum adversetur, quodque periculo erroris in rebus fidei per se quemquam subjiciat. — Si tamen per varios temporum eventus respublica se sejungens ab Ecclesia huic denegat auctoritatem quamcumque pro tuenda fide in scholis exercendam, idem ille statuet rempublicam cogere posse neminem, ut scholas ab ea erectas frequentet; libertatem autem docendi propugnabit, remedium quippe tunc unicum juris singulorum officiique Ecclesiæ.

Sin contra tota gubernatorum magistratuumque reipublicæ compages constituta in mente tua, quoad omnium jurium civilium exercendorum summam, sumenda sit pro



gente cui præficitur, et summam illam omnium jurium repositam censeas in manibus ejus, pertinentem ad ipsam solam, pendentemque in singulis ab arbitrio ejus atque dispensatione, libertatem istam docendi privatorum civium, — cives si sint vocandi, — omnino negabis, immo ne ideam quidem illius suscipies, quum compages illa tibi sit respublica, proceres, populus, jus omne civile et libertas. Catholicus si sis, tibi tunc reliquum non censebis, nisi jus et officium postulandi ut abstinere possis, pro salvanda conscientia, a frequentandis scholis, quæ errore vel vitiis infectæ sint. Notandum tamen est, prædictis me tangere nolle Religionis ipsius institutionem, quam qui catholicorum Ecclesiæ abjudicasset, ipsius esse membrum ipse cessasset.

Ad conclusiones longe alias traditisque maxime oppositas deveniet is, cui ejusmodi de rebus omnibus supra expositis sentiendi ratio est, quæ indicatæ a nobis prorsus contradicat.

Quod si aut hæ aut illæ sententiæ non privatorum sint sed populo fere communes, qualis illarum futurus sit in Universitatibus, summorum illorum sciendi vivendique institutorum, vel conditionem externam vel internum regimen efficientia, primo obtutu perspicitur.

Cuique compertum est, Universitates studiorum, ut instituta certo aliquo modo completa, medio ævo exorta esse. Tempora illa erant fidei imperantis. Ecclesia, ex sententia omnium dux veritatis et salutis, dominabatur in mentibus et legibus; nobilissimo hoc condimento perfusum et emendatum, studium libertatis propriæ et animi firmitatis tenebat tam singulorum mentes, quam varia temporum illorum instituta, ipsamque rempublicam. — Fere omnes notiones supra indicatæ hominum societati Europææ communes tunc erant. Possessi veluti ab Ecclesia, ab Ecclesiæ studio, semetipsos singuli libere possidebant. Hanc indolem studiorum Univer-

sitates, prout secula ista eas ediderunt tradideruntque, eminenti modo præ se ferunt. Ratione originis aliæ, aliæ adoptionis, vere tamen ad unam fere omnes filiæ sunt Ecclesiæ, neque hæc matris, neque filiarum illæ piissimarum ulla prætermiserunt in invicem obsequia. Ut veræ studiorum Universitatis notam auctoritatemque aliquod hujusmodi institutum obtineret, voto privilegiisque principum videbimus infra accedere debuisse erectionem decretam concessamve a Romano Pontifice. Hæc *studii generalis*, hæc corporis illius publici, Ecclesiæ et reipublicæ partis, exemptionis aliisque privilegiis et juribus permultis stipati, vim et auctoritatem sola illis præstabat, collocabatve in tuto. Universitates illius temporis singulæ vere ita fiebant totius orbis Christiani instituta, studia nimirum generalia, ad quæ libere accedebant omnium gentium Christianarum cives, juribus privilegiisque academicis iisdem ac populares utentes, gradibusque et honoribus academicis, si lubebat illos appetere, exornandi ejusmodi, qui ubique locorum vim suam exsererent. — Ex parte autem adversa, primus præcipuusque talium institutorum scopus dum semper erat Religionis profectus per disciplinarum omnigenum cultum, animorumque nobiliorem institutionem; idcirco, et in quotidiano exercendo munere, et in asseveranda veritate catholica, et in assistendo Ecclesiæ in publicis ipsius angustiis, et in vendicandis ejus juribus, per varia secula studiorum Universitates devotissimi animi notam, paucis exceptis, continenter Ecclesiæ exhibuerunt.

Quis communionem istam fidei non solum, sed persuasam tunc temporis omnibus intimam propriamque veritatis unitatem ibi non agnoverit, juxta quam disciplinarum cunctarum apicem occupat Religio, quæ ne lædatur, sed salva permaneat, penes Ecclesiam sunt cura, judicium et auctoritas, ad quam idcirco tuendam, illustrandam, ad cujus

amorem in animis fovendum, magistri conferre debent disciplinarum etiam non sacrarum, utpote quæ, licet finem proprium singulæ habentes, quem liberrime prosequuntur, altiori tamen ratione descendunt a Patre Luminum, et rursus ascendunt ad Ipsum.

Quæ autem ita hominibus persuasa erant, in eorumque mores et vitam etiam publicam tam alte penetrarant, non facti solius poterant remanere negotium, tacitive consensus, sed et multiplicibus variisque sanciri debuerunt juris definitionibus.

Hic tamen altera quoque intercedit quam protulimus illius ævi nota, qua, quam maxime fieri poterat, singulorum vel hominum vel institutorum integra servabatur libertas, seseque ipsum moderandi auctoritas. Licet vinculo tam angusto, pietate tam arcta, studiorum Universitates cum Ecclesia colligarentur, prope omnia tamen quæ erant interni regiminis ab ipsarum pendebat arbitrio. Seipsas regebant, sibimet plerumque ipsæ novas vires docendi comparabant, statuta ferebant circa singulos totumque corpus; immo jurisdictionem propriam exercebant in membra sua per iudices certos suosque. — Sed libertas illa, magna quoad Ecclesiam, major et quasi absoluta erat respectu civitatis. Libere tunc, nisi Religioni, moribus, aut reipublicæ adversarentur, instituta fere omnia oriebantur; quæ vero orta erant, sub tutela quadam levissima raroque effectui mancipata libere vivere sinebantur vita sibi propria. Singulis institutis cura credebatur sese servandi, regendi, extendendi, scopum suum modis sibi consonis attingendi, quæ sua erant vel bona administrandi vel jura tuendi; neque legis tunc putabatur esse cuncta velle et prævidere et ligare, neque reipublicæ moderatorum administratorumve singula statuenda administrandaque sibi arripere. Varia quidem minus compe sæpe procedebant,

aliquorum aliquando jura minus erant in tuto reposita, sed omne genus institutorum libertati singulorum patebat, jura a lege non tam tribuebantur, quam jam possessa ducebantur et sanciebantur, et si qui tumultus oriebantur, incommodum illud aliquod erat ex eo profluens, quod tota respublica ut forum potius considerabatur virorum quam ut aula clientum puerorumve schola.

Studiorum igitur Universitates temporum istorum, grandiora profecto ævi instituta, hujus omnino notam præ se ferebant, tum in Ecclesiam studio obsequentissimo, tum sui juris plenissima fruitione; quam quidem privilegia permulta eaque pretiosissima, tam ab Ecclesia quam a Republica concessa, stipabant exornabantque.

Hic e consensu Ecclesiæ et reipublicæ et ex ævi illius moribus existens Universitatum studiorum status, quantum ex Ecclesia pependit, universim saltem loquendo continuo perduravit, sed aliunde res mutatas vel maxime reperimus. Fatendum quidem est jam ante disruptam in Europa per reformationem, quam dicunt, sæculi XVI fidei unitatem, nobilissimum aliquod ex honoribus academicis decurrentium, cumque ipsa studiorum generalium nota intime connexorum jurium haud parvam fecisse jacturam. Ex historico quippe fonte, nimium videlicet studiorum Universitatum aucto numero nimiaque novarum aliquarum, antiquiorum frequentatiorumque æmularum, in renuntiandis doctoribus indulgentia, jus *nostrificationis* quod dicebant, exortum est, quo cavente jus docendi, doctorum gradui ceterum inhærens, in potioribus aliquibus studiorum Universitatibus exerceri jam non poterat a doctoribus promotis in aliis, nisi novo scientiæ coram ipsis facto periculo. Tale tamen *nostrificandi* jus toto cælo distat ab imminutionibus istis et detruncationibus, quas ab ævo pseudo-Reformationis studiorum Universi-

tates passæ sunt ut orbis Christiani instituta, ita ut hodie quidem omnium fere regnorum, quæ Ecclesiæ principatum non agnoscunt, hæ scholæ, non sint nisi singulares istius gentis, extra cujus limites nullum producant favores aut honores ab ipsis concessi juris effectum. Illud quodcumque damnum per prædictum nostrificationis jus splendori et amplitudini gradus doctoratus illatum, saltem jus ipsum non negabat doctori inhærens docendi ubique locorum. Conditio potius quædam erat, hujus juris exercitio imposita. Hodie contra, nisi ex speciali vel concessione vel pacto, singulæ respublicæ, quæ doctoratus vel licentiæ auctoritate Apostolica collatorum non amplius agnoscunt efficientiam, solis gradibus a studiorum Universitatibus intra ipsarum fines existentibus concessis vim tribuunt, et ne antiquam quidem illam, sed misere imminutam dejectamque de honore pristino.

Aliquo revera tempore post eorum a Religione catholica et a sede Romana defectionem, principes protestantes, ut quo meliore modo possent auctoritate illa universa studii generalis, per Pontificis erectionem vel approbationem Universitatibus studiorum præstita, instituta similia ab ipsis fundata munirent, talem vel erectionem vel approbationem ab Imperatore Romano flagitaverunt. Evanescente tamen religiosa subjectione, mox politica quoque flaccescuit. Jam singuli sibi proceres quantam poterant auctoritatem potentiamque tam Pontificis quam Imperatoris arripiebant. Negato summo illo Ecclesiæ capite, interprete simul veritatis divinæ, divinorumque gratiæ præsidiorum procuratore, principibus in promptu sane erat summum sibi rerum Religionis apicem adjudicare. Neque conatum fefellit eventus. Ipse Reformationis, uti vocitatur, patriarcha Lutherus, principes seculares in suas partes trahere cupiens, talem illis in rebus Religionis potestatem affirmaverat, candidè

professus sibi gratias idcirco amplissimas a principibus deberi (1).

Hæc dogmata confessiones fere omnes diversarum regionum protestantium præ se ferunt, tam terræ continentis, quam Britanniae (2). Venia mihi sit cum cl. Döllinger in hujus sententiæ lepidum aliquod exemplum indicanti Jacobi I, Magnæ Britanniae regis, gaudium illud, quo, regno accepto, perlustratisque primo hisce privilegiis, exultabundus exclamavit: « Creone judices? Creone episcopus? tunc, bone Deus! facio quod libet, legem et evangelium (3). » Neque perperam, nam teste ipso Macaulay, secundum receptam Anglicanorum labentis seculi XVII sententiam, rex Dei vicarius in terris erat, tam ut Ecclesiæ doctor, quam ut omnis potestatis spiritualis fons et caput (4). Pro aliis Europæ protestantismo adhærentibus regionibus, testimonia non minus lucida opere laudato cl. Döllinger affert. Res eo usque processerunt, ut famosa illa, omnia jura conscientiae conculcans sententia: « Cujus est regio, illius et Religio, » inter protestantes fere juris publici fieri potuerit. Nulla jam tradi-

(1) « Wo ein Dank, » inquit, « um die schändliche, verfluchte Welt zu verdienen wäre, und ich, D<sup>r</sup> Martinus, sonst nichts Gutes gelehrt und » gethan hätte, denn dasz ich das weltliche Regiment oder Obrigkeit » so erleuchtet und gezieret habe, so sollten sie doch des einzigen » Stücks halber mir danken und günstig sein, weil sie allesammt, auch » meine ärgsten Feinde, wohl wissen, dasz solcher Verstand von weltlicher Obrigkeit unter dem Papstthum unter der Bank gelegen, » u. s. w. » V. Edit. Walch. XIV, 520 ss., XIX, 2287, cit. ap. Döllinger, *Kirche und Kirchen*, p. 54, notula 1.

(2) Ibid., p. 52 ss.

(3) Sermone suo scotico: « Do I mak the judges? Do I mak the bishops? » Then, God's wauns! I mak what likes me, law and gospel. » (*Hist. Essays*, by John Forster, London 1858, I, 227, ap. Döll., op. cit., p. 155).

(4) Macaulay, *Hist. of England*, I, 54, Tauchn. edit., apud Döllinger: « The vicar of God, the expositor of catholic verity, the channel of » sacramental graces. »

tionis vel potestatis alicujus superioris auctoritate retenti, ab hujusmodi doctrinæ vel extremis consecutionibus non abhorrebant ipsi Reformationis patres et auctores. Sic Lutherus ex eo quoque regum gratias se meritum dicebat, quod jam dubitationes aliquæ priorum, nempe Religionis catholicæ dominantis, temporum illis ademptæ essent, quibus tunc, ne morte multarent homines, vel ex Religionis considerationibus, vel confessario quem dicunt, intercedente, anxii aliquando hæsisserunt: nunc vero Lutheri doctrinam penitus eos reddidisse tranquillos (1).

Promptissimo quidem ac gratissimo animo principes protestantes ad unum fere omnes hanc novam capiti suo imposuerunt coronam, juraque hæc quam absolutissime exercuerunt. Apud cl. Döllinger, opere laudato, si lubet, videas omnia jura tam sacra quam civilia violata ac superbe in ipsorum manus translata. Inter hæc fieri non poterat, ut eos studiorum Universitatum gravitas lateret. Cl. Busz (2) luculenter omnis generis vim dolosque describit, quibus principes illi hæc instituta, tam intime cum Ecclesia colligata, ab ipsa avellere conati sunt. Modo illustrissimos doctores, suis placitis si non faverent, ab ipsis amovebant, modo reluctan- tibus istis institutis novarum rerum fautores eis adscribebant, modo in totum ipsorum corpus, ut finem suum attingerent, vi et armis sæviebant. Contra hujusmodi impetus aliarum Universitatum brevior, aliarum longior fuit pugna, ad ultimum omnium tamen fere vana. Tali quidem modo prima illa potiorque studiorum Universitatum nota, mutua

(1) V. *Colloquia et meditationes Lutheri*, edit. Rebenstock, I, 147; apud Döll., l. c. p. 54 s. notula.

(2) In opere cui titulus: *Die Reform der katholischen Gelehrtenbildung in Teutschland an Gymnasien und Universitäten; ihr Hauptmittel, die Gründung einer freien katholischen Universität deutscher Nation*. Schaffhausen, 1852.

nimirum inter ipsas Ecclesiamque ratio, in regionibus istis confracta est. Immutationem hanc vere maximam mox alia subsequuta est.

Ex innumeris jurium privilegiorumque, quas commemoravimus, violationibus, ex repetitis tot principum conatibus, quibus exitum felicem vis semper fere parabat, sibi jura nova arripiendi, atque ex Universitatum ipsarum vel ab Ecclesia deficientium, vel sub jugo principum qui ab Ecclesia desciverant constitutarum, conditione inermi prorsus ac derelicta; ex hisce, inquam, causis omnibus sensim sine sensu totius instituti, quatenus ad rempublicam refertur, alia quædam et ab antiqua prorsus aliena considerandi ratio prævalere cœpit. Corpora libera medium ævum illas noverat, totumque jus, tam ecclesiasticum, quam publicum civile tales eas sanxerat: semet ipsas regebant, res suas administrabant, jurisdictione immo latissima gaudebant in subditos suos, immunitatibus luculentis a qualibet extranea auctoritate. Violata iterum ac sæpius a principibus protestantibus hæc jura, mox in ipsorum, qui tam libere de eis decernebant, manus transiisse visa sunt. Ipsæ studiorum Universitates tam aspere sæpe tractatæ, orbatæ non raro viris, quorum animus auctoritasque firmamento illis fuissent, quinimmo, quod maxime dolendum est, oblitæ aliquando proprii honoris ac dignitatis, juri tuendo pares maximam partem non erant. Ita quæ fotæ ab Ecclesia suo Marte steterunt ac viguerunt per varia secula, matre deserta alieno didicerunt haurire spiritum.

Protestantarum, vel ab initio vel per defectionem, studiorum Universitatum minus quidem ad rem nostram faciunt fata; Romanis enim Pontificibus, quorum tum ab illis tum penes illas a principibus jam nulla agnoscebatur auctoritas, nihil supererat aliud, nisi ut propriis fatis eas relinquerent.



Verumtamen horum eventuum considerandorum respectu illarum studiorum Universitatum, quarum cum Ecclesia nexus substitit, gravis exitebat ratio. Quum errores jam ubique fere serperent, et principes tanti, vel numerum si spectes, vel potentiam, nomen illis darent, illosque vi, dolo, legibus tuerentur, quumque in Germania saltem studiorum Universitates in hæreseos partes trahendi media omnia adhiberentur, et apud plures quidem pleno successu, idcirco Ecclesia, ab officio suo non discedens, quantum ex ipsa pendebat, fidei integræ servandæ providit in institutis quæ tanti erant momenti, tam auctoritate qua pollebant, quam summo summorum civium reipublicæque ordinum cultu. Unde variæ leges, præcipue a S. Concilio Tridentino, latæ sunt, quas Romani Pontifices executioni utut poterant mandarunt, pro asservanda fide in Universitatibus studiorum, et pro harum, si opus esset, reformatione ac visitatione.

Jam ex hoc quidem fonte aliqua accuratior, accuratiusque certis legibus præfinita vigilantia necessaria videri poterat, et exinde aliquam imminutionem pati fere absoluta ista sui ipsius moderatio, quam indicavimus studiorum Universitatibus propriam fuisse. Ex parte tamen Ecclesiæ imminutiones hujusmodi non tam interni regiminis erant, quam cautelæ, et universæ summæque istius auctoritatis, quæ ad illam pro fide et moribus tuendis pertinet, quod quidem ex instituta nostra concernentibus historicis momentis omnino conficitur.

Sed respublica ipsique qui illi præerant principes longe aliter se gesserunt. Bella horrenda interna et nationum, variarum vel religiosarum vel politicarum factionum collucationes mutuaque contritio, animorum, fortitudinisque et virtutis tum publicæ tum privatæ confectio viam astutis quibusdam negotiorum publicorum regendorum administris

straverunt, qua dominis suis potentiae jam limites non agnoscentis ullos jura arriperent. Cæsarismus, quem vocant, in multis regionibus, etiam catholicis, invaluit; contemptores vero juris alieni rebus ipsis divinis quam plurimum manus apposuerunt. Aliunde ipsi ordines reipublicae vel instituta hanc omnimodam subjectionem ac diminutionem, ex internae virtutis veluti jactura, qua amplectendo tuendoque suo juri minus aptabantur, juvabant.

Variæ hæ causæ diversarum gentium studiorum Universitates, licet ab Ecclesia non omnino avulsas, haud parum tamen ab ea subdlexerunt, nexum cum Ecclesia relaxantes, reipublicaeque aut illius magistratui sæpe tribuentes quas Ecclesia in ipsas exercuerat partes, quasve usque ad id tempus ipsæ libero suo Marte expleverant. Quo hæc non ad arbitrium affirmata videantur, memoriam istorum vel animorum vel legum consiliorum attulisse certo sufficet, quæ sub Gallicanismi, Josephismi, aliisque similibus nominibus simul cum cæsarismi istius placitis obtinuerunt (1). Leges illas per singula capita referendi hic non est locus. Universitatum vero quas respiciunt, licet non omnino semper ab Ecclesia avulsarum, gravissime tamen immutatam fuisse et religiosam et publicam naturam nimium patet. Ecclesiae jam

(1) Placitis profecto his nil minus indulserunt multa temporis nostri nationum publica comitia. Ecclesiae cultu sublato e mentibus, extincto amore magni illius instituti, quo divina præsidia libertati et virtuti humanæ præbentur ad extollendum se de terris ad cælum, jam hinc dignitatis nostræ notio gravissimum sui momentum amittit, illinc vero nullum majus altiusve institutum se præbet oculis, quam quod universam rempublicam singulasque ipsius partes regit atque moderatur. In hoc tunc omnia jura conferre, ipsius pro nationis usurpando notionem, mutuo quibus ferendarum legum cura committitur jam certant, neque minor fit legum omnia privata ac publica decernentium quam alibi ipsorum tyrannorum tyrannis.— Egregie inter alios hoc exposuit ill. Ketteler, Ep. Mogunt., in opusculo cui titulus: *Freiheit, Autorität, und Kirche*. Moguntiae, 1862.

non sunt amplius filiae, nisi forte filias quidem, sed matrimonio enuptas vel servitio alii obnoxias eas vocitare cui libuerit, cujus erga matrem obsequia naturam jam aliquam generalissimam tantum, effectui rarius mancipandam, induerint. Quantum potuit, Ecclesia deserentes non deseruit, ad fidem moresque tuendos multum indulgens, ad multa se accommodans, dummodo non posceretur ab ea ipsius sui juris denegatio. Sic et circa ipsas studiorum Universitates, quæ Ecclesiæ nuncium non miserunt, juris positivi definitiones variæ secundum varia fuerunt tempora et loca. Jus quidem vitam externam per regulam interne obligantem moderatur; vita vero ipsa, tam hominum quam institutorum, est aliquod per tempora varia, variaque ipsorum momenta perdurans, his tamen se commiscens, ipsorumque variis vicibus plus minus affectum.

Dissertationis nostræ non est multiplices, quos studiorum Universitatum historia exhibet, ipsarum casus indicare, neque, quoad singulas, singula quæ vel statuit, vel concessit, vel de quibus pacta est Ecclesia, ipsiusve summi moderatores, Romani Pontifices. Absolutis iis, quæ facere possunt ad exhibendam tuendamque claram horum institutorum notitiam, adoriemur aliquantulum exponenda quæ circa illa, tempore intimæ reipublicæ Universitatumque studiorum cum Ecclesia unionis, jura Sedi Apostolicæ agnoscebantur. Vel circa hæc, vel circa ipsarum Universitatum jura locus sæpe tunc præbebitur accuratius investigandi quænam ad substantiam illarum notionis referantur, ita quidem ut, his non salvis, juris ecclesiastici totum pereat hoc institutum; quænam vero ad integritatem tantum hujusmodi notionis pertineant, quæ scilicet si deficient, cæteris in tuto positis, Ecclesia tamen illis Universitatis studiorum notam sensu ipso suo non abjudicet.

Ceterum, quod prædicta jam indicant, et ex mox dicendis amplius colligetur, ita inter se discrepant quæ diversis temporibus vel locis obtinuerunt de studiorum Universitatibus hominum ideæ, ut ea quoque instituta, quæ juris canonici circa ipsas desunt notioni, interdum tamen secundum ipsum jus ecclesiasticum, saltem ex parte, præbere possint ea quibus præbendis canonicæ erectæ vel sustentatæ studiorum Universitates destinantur. Illico tamen asserimus, quod toto opusculo suscepimus comprobandum, ideam integram studiorum Universitatis, secundum plenam ipsius vim et dignitatem, illis solis hujus nominis institutis propriam esse, quæ juris ecclesiastici de Universitatibus studiorum notioni consona sunt.

## CAPUT II.

### DE VOCIS *UNIVERSITAS* ALIARUMQUE IN RE NOSTRA ADHIBITARUM VI PROPRIA.

Inter varia, quibus instituta, circa quæ occupamur, designari potuissent nomina, fatendum est nullum forsitan aptius eorum indoli ac fini accommodari, quam illud quo ubique fere gentium dicuntur *Universitates*. Immo secundum ipsorum quam nostram profitemur, tuendamque infra suscipiemus, ideam, potiori insuper jure instituta ejusmodi hoc nomine vocantur, quum nobis disciplinarum omnium ibi tradenda doctrina, unitate colligata superiore, in unum quoque communem superioremque finem veluti ultimum conspirare debeat.

Utut autem recta est verbi ad rem ratio, longe tamen a vero erraret, qui in nostro negotio Universitatis nomen

crederet ab ea, quæ illi nunc tribuitur, significatione primam duxisse originem. Tantum abest ut ita res se habeant ut per tempus haud breve in ipsis illis scholis supremis, Universitatis appellatione aliquid prorsus a nostra mente diversi intellectum fuerit. Vetus est hæc, quam exhibet jus civile romanum, Universitatis notio: corporis nimirum aliqujus ex plurium hominum societate constituti, cui comoda sint propria finisque præfixus, ac jura quædam hisce tuendis vel prosequendis destinata (1).

Ut universim instituta grandiora majorisque momenti vix unquam a primo suo existendi momento completa existunt: ita neque studiorum Universitates. Priusquam in unum docendi discendique corpus disciplinæ variæ congregarentur, immo priusquam quæ ad unum potius doctrinæ genus natura sua pertinebant, in propriam ipsarum *facultatem* (2)

(1) Cf. III, 4. Dig. (tit. *Quod cujusque universitatis nomine vel contra eam agatur*), § 1: « Quibus autem permissum est corpus habere » collegii, societatis, sive cujusque alterius eorum nomine, proprium » est, ad exemplum reipublicæ habere res communes, arcam communem, et actorem sive syndicum, per quem, tamquam in republica, » quod communiter agi fierique oporteat, agatur, fiat, etc. »

(2) Quum jam de variis agatur studiorum Universitatum nominibus, venia sit nobis, licet totum corpus illarum *facultas* non designet, pro ipsius tamen facultatis notionis pondere, quæ de hujus vocis in rem nostram adhibenda origine Ch. A. Heumann in sua ad Conringii antiquitates academicas præfatione tradit, referre (cf. Häusle verbo *Universitäten*, in opere *Kirchentextikon*, Herder, Freiburg): « De *facultatis* nomine ut initio dicam, constat, academias dividi solere in quatuor collegia, eorumque unumquodque vocari *facultatem*. Facultas, » inquit Bulæus in Hist. Acad. Paris., t. I, p. 251, est corpus et sodalium plurium magistrorum certæ alicui disciplinæ addictorum. Jam » cum id nominis vehementer offendat aures Latinas, quis non gestiat » cognoscere, qui factum sit, ut *facultatis* nomen inderetur collegio et » quidem in solis academiis? Aperiam igitur hujus appellationis originem. Accidit videlicet initio in tenebris scholasticis (*sic*) ut quævis » scientia nominaretur *facultas*. Cum enim Græci aliquando dicant » *διναμι* pro scientia (id quod nec inobservatum dimiserunt Budæus

disponerentur, peculiaris aliqua schola seu doctrinae expositio, dummodo a magistro magni nominis tradita, discipulos ex omnibus fere terris et vel reipublicae vel Ecclesiae ordinibus frequentissimos, qui ipsa imbuerentur, sponte cogebat. Cui nomina hic non occurrunt S. Anselmi abba-

» et Henricus Stephanus) : hinc in librorum Graecorum versiones  
 » facile pro scientia irrepsit facultas (a). Placuit haec elegantia scilicet  
 » scholasticis, crebroque pro scientia dicere ipsis libuit facultatem.  
 » Erat ita initio ipsis usitatum, facultatem dicere pro scientia : ejusque  
 » rei exempla suppeditat nobis noster Conringius. In ejus quippe pagina 56  
 » occurrit lex Friderici I imperatoris, commemorans «magistros  
 » in medicinali facultate legentes»: et p. 148 imperator Frid. II, vult, in  
 » civitate Neapolitana esse doctores et magistros «in qualibet facultate.»  
 » Eodem modo p. 575 nominat Innocentius IV «magistros quarumcum-  
 » que facultatum » et p. 587 imperator Maximilianus jubet «candidatos  
 » honorum academicorum rigorese examinari in ea facultate, quam edi-  
 » dicerint, » ac in vetusto quodam diplomate laudari professorem «facul-  
 » tatis grammaticae » cognovi ex Halmii collectione monumentorum,  
 » t. I, p. 261. Similia exempla praebent literae Pontificum Clementis V  
 » et Urbani VI a Motschmanno productae in Erfordia literata, t. I, p. 14,  
 » 19, 20, 26 et 27. Eodem sensu Petrus Blesensis laudat fratris sui  
 » «scripta theologiae facultatis » in epistola XCIII, p. 1012, tomi XXIV  
 » bibliothecae Patrum maximae Lugdunensis. Sic etiam Lutherus in epis-  
 » tolis Marbachianis p. 5 se nominat «Decanum collegii facultatis  
 » theologiae », ibidemque commemorat «collegium facultatis artium  
 » liberalium.» Quam epistolam cum jure credam exaratam esse a  
 » Melanchtone, quippe qui solebat publica scripta componere, simul  
 » hinc colligo, eum pro barbaro nomine facultatis Theologiae tolerabi-  
 » lius dicere maluisse, Collegium facultatis ( id est scientiae ) theolo-  
 » gicae. Ac edens quoque Melancton a. 1546 «Leges academiae Witten-  
 » bergensis » ibi exhibuit etiam «statuta collegii facultatis Theologiae »,  
 » itemque «leges collegii facultatis liberalium artium, quas philosophia  
 » continet.» Doceant igitur nos duo haec loca, initio *scientias* dictas  
 » fuisse *facultates*; postea accidisse, ut illud collegium magistrorum,  
 » quod quaecumque scientiam tractaret, acciperet nomen *Facultatis*,  
 » proque collegio philosophorum vel theologorum diceretur «facultas  
 » philosophica, facultas theologiae.»

(a) « Sic v. gr. *δύναμις πολιτική*, scientia politica, apud Pintarchum, libr. de  
 » educ., cap. X. 9. Etiam Quintilianus habitum scientiae practicum vocat facultatem, Dialect.  
 » cap. XXXIII, 4 : id quod et Aristoteles facit Topic. lib. VI, cap. 5 ita scribens :  
 » *Πᾶσα ἐπιστήμη καὶ δύναμις τοῦ βελτίστου δοκεῖ εἶναι.* »

tiaeque ipsius Beccensis, Abelardi, Guilielmi a Campellis, aliorumque (1), qui ante generaliter enatam studiorum Universitatum constitutionem, discipulos discendi avidos per totius Europæ veluti vias ad suæ doctrinæ sedem ciebant?

Hic tamen illico fere se exhibuit ille, quem diximus, mediæ ævi libertatis auctoritatisque propriæ sensus. Ex tot regionibus vitæque variis conditionibus congregati, in hujusmodi magni cœtus sinu, se similes cum similibus conjungere, juraque invicem sibi statuere ac tueri, in corpus unum, certis tam commodis quam tacitis aut expressis stipulationibus mutisque legibus definitum, coalescere cœperunt. Ecclesia vero et respublica, secundum seculorum istorum traditum studium, quæ talium coetuum indoli tam consona erant, hosce coetus sponte enatos et maxime ad earum bonum et finem proprium conducentes nedum impedirent, libenter agnoverunt sanxeruntque. Ita tandem evenit, ut illorum vel magistrorum, si plures in unum locum convenissent, vel discipulorum variæ secundum regiones et disciplinas congregationes jam de jure, sicut prius de facto, veras juris Universitates constituerent (2).

(1) Innerium, magnum illum Bononiæ legum magistrum præterimus, ne apud Bononienses, de suæ studiorum Universitatis antiquitate gestientes, offendamus. Parisiensium vero antiquitatis jura lædi non credimus, quum, quævis fuerit scholarum ipsorum et cathedralis et monasticæ vetus auctoritas, non tamen usque ad ea quæ tetigimus tempora nisi elementa præbebant contrahenda mox et conformanda in veram studiorum Universitatem.

(2) Meiners in Historia sua Universitatum studiorum terræ Europææ (*Geschichte der Entstehung und Entwicklung der hohen Schulen unsers Erdtheils*. Göttingen, 1802-1805), t. I, pp. 9 ss., hanc juris Universitatum exædificationem propriam, cujuscumque potestatis sanctioni in rerum origine præviam, disertius exponit. Cæterum ad horum corporum favorem, præter mediæ ævi indolem universam, non parum maxima tum bonorum tum honoris commoda conducebant, quibus discipulorum tam frequens numerus civitates in quibus, a præclaris magistris collecti, sæpe per multos annos degebant, cumulabat.

Quod sic re constitutum erat nec nomine caruit. Talem a jure civili romano desumptam priscam in re nostra vocis fuisse vim, lucidissimis exemplis Meiners (1), Savigny (2), Busz (3), Häusle (4) aliique ostenderunt. Exinde addita denominatione eorum, qui præcipue constituebant corpus hoc, jam præbens juris Universitatem, vox hæc ipsa Universitatis magis peculiarem plerumque designationem nancisceretur; homines certos ipsa, commoda juraque eorum mutua et in alios respiciebat; de Universitate disciplinarum disciplinarumque cultu et intento fine verbo Universitatis indicandis, tunc temporis ne cogitabatur quidem. Sic Bononiæ, ubi, præ magistrorum, auditorum pollebat auctoritas, de *scholarium Universitate* communior erat sermo; Parisiis vero, de *Magistrorum*: penes magistros enim Parisiis corporis erant nexus, virtus et commoda. Immo sæpius in sinu ejusdem alicujus ex illis scholis, ut ita dicam, supremis, variæ variorum Universitates discernebantur. Sic, v. gr., Bononiæ medio ævo *Universitas Citramontanorum*, septemdecim nationum popularibus constans, habebatur simul cum *Ultramontanorum Universitate*, quæ octodecim nationes complectebatur. Si vero secundum varias disciplinas ipsorum discipuli in unum conferebant jura et commoda sua, eadem quam nunc vocamus studiorum Universitas eodem loco aliam *juristarum*, aliam *artistarum*, aliam *theologorum Universitatem* exhibebat. Inde etiam factum est, ut Universitatis vox in illis quoque scholis occurrat adhibita, ubi modo illo altiori

(1) Op. cit., t. IV, pp. 586 ss.

(2) *Geschichte des Römischen Rechts im Mittelalter*. Von Friedrich Carl von Savigny. Zweyte Ausgabe, Heidelberg, 1854. — V. operis vol. III, p. 412 s.

(3) Op. cit. *Die Reform der katholischen Gelehrtenbildung in Teutschland*,... p. 146 s. et alibi.

(4) Art. cit. operis cui titulus *Kirchenlexikon*.



non tradebantur nisi unius, quam vocamus, facultatis disciplinæ. Neque abs re Meiners notat, ipsis quibus « *Universitatem scholarium* », de Bononiensibus loquens, dixerat documentis, Honorium III civitatem Bononiensem quoque « *Universitatem eamdem vel vestram* » vocare; similia de Bonifacio VIII, itemque de Cardinalibus anno 1302 ad civitates Galliæ scribentibus, refert.

Hæc monumenta nimis perspicua nobis videntur, quam ut assentiri possimus iis qui putant jam sæculo XIII exortam esse sensu hodierno propriam Universitatis, pro institutis de quibus agimus, appellationem (1).

Hodierna tamen, ut plerisque usu venit, verbi significatio, ipsi illius etymo quum tam apte accommodetur, et jura ut ita dicam, historiæ jam in tuto reposita sint, neminem speramus ægre nos laturum, aliquando et hodierno more illam usurpantes. Quinimmo interdum ipso jam XIII seculo, quando ad magistrorum, vel scholarium, vel amborum totum corpus

(1) Vid. F. D. Doyen, *Études historiques sur l'enseignement dans les Universités du moyen âge*, qui n. 8, not. 2, hæc habet: « Quelques-unes » de ces écoles, telles que Paris, Bologne, Oxford, étaient déjà très-célèbres, dès le milieu du XIII<sup>e</sup> siècle, par le nombre considérable d'étudiants qui s'y rendaient de toute part pour entendre les leçons d'Irénéus ou de Gratien, d'Abailard ou de Pierre Lombard; mais ce n'est qu'au commencement du XIII<sup>e</sup> siècle, que les études de la théologie, des arts libéraux, de droit, de médecine furent organisées par des lois uniques et reçurent la même impulsion. Le corps entier qui représentait les études générales, *Studium generale*, prit alors le nom d'Université. » Nota auctoris ipsa in declarationem adducitur illius, quod in corpore dissertationis dixerat: ... « Pour faire de meilleures études, il fallait concentrer dans une seule ville les différentes branches d'instruction, en réunissant en corps les professeurs qui en seraient chargés; de là, l'origine de ces écoles ou collèges d'une même ville, dans lesquels on enseignait à la fois tous les arts libéraux et toutes les sciences, et qu'on appela du nom d'Université au XIII<sup>e</sup> siècle. » Neque, ut mox nostrum erit ostendere, sensum quem auctor studii generalis verbo hic videtur tribuere, nostrum facere possumus.

sermo dirigebatur, Universitatis nomine, nullo adjecto, illud vocabatur. Sic ab Innocentio III, bulla, 1210, ad magistros Parisienses data, tum *Universitas magistrorum* dicitur, tum simpliciter *Universitas*: „Quum autem supradictus M. G. » intra triduum Universitati non paruerit... (1). » Cardinalis vero Robertus de Brie, anno 1278 (2), scribit: „Videlicet » quod rector universitatis Parisiensis. » Corpus quidem juris his significabatur, aliusque specialioris vocis prætermissionem satis supplere videri poterant totius sermonis adjuncta. Quum tamen neque jus civile romanum neque priscus in re nostra vocis usus, eam a vi illa, universum qua quid demonstrat, arcere possit, taleque universum, nunc, sicut institutum secula consecrarunt, non sit aliud, nisi literarum et disciplinarum, hoc et seculorum et linguæ donum gratis jam manibus et nos suscipiamus. Ceterum vox *Universitatis*, nulla adjuncta, licet a sensu juris civilis romani desumpta, instituta nostra designans, et latino sermone et vernaculo jam seculo XIV invaluit (3).

Universitas igitur in re nostra initio corpus illud juris civilis romani solum designabat, quod in unum congregabat jurium commodorumque cœtum vel magistros vel auditores aut omnium aut alicujus generis disciplinarum. Inde, quo institutum prout disciplinis dicatum indicaretur, *Scholæ* verbum primis temporibus etiam pro supremis illis scholis usurpatum est. Sed jam seculo XIII in alium sensum hæc vox ibi recepta est, vel alicujus nimirum disciplinæ per aliquem magistrum traditionem commemorans, vel ipsa loca in quibus singuli suis excolendis auditoribus magistri publice vacabant, auditoria igitur et quæ dicuntur prælectiones.

(1) Bulæus, *Historia Universitatis Parisiensis*, t. III, p. 60.

(2) Bul., III, 444.

(3) V. Meiners, l. c., p. 388.

De alio, *Studii generalis* videlicet, verbo auctores inter se discrepant. Ita, ut quosdam adducam, Meiners (1), Newman (2), Reythmayr in oratione quam rector Universitatis Ludovico-Maximilianæ (Monacensis) habuit (3), Doyen (4), ipsius vim in eo sitam reputant, ut scholam designet, in qua omnium disciplinarum vigeat cultura et traditio, Universitatem exinde sensu nostro hodierno. At vero Savigny (5), Busz (6), Hasel (7), Häusle (8) aliique hanc vim ipsi omnino abjudicant, sed vocis originem et sensum intentum exinde quæerunt, quod tum omnium regionum discipulos Studia generalia sibi adscribi sinebant, tum jura illis et honores ex studiis haustos conferre valebant, qui ubique terrarum obtinerent. Quantum ad priorem, quem tuentur, appellationis fontem, Thurot illorum suam facit sententiam, respuens ipsam vero pro honorum juriumque ubique agnoscendorum efficientia (9).

Prima sententia videtur ad similem illi, quem circa Universitatis nomen refellere conati sumus, errorem revocanda, quo nempe vox illa *generale* ad disciplinas referretur, quum,

(1) L. cit., p. 589, 590.

(2) Opere *The Office and Work of Universities*, cap. II, p. 9, hunc sensum saltem innuit.

(3) *Ueber Idee und Ziel der Universitäten*. München, 1837.

(4) L. cit.

(5) Op. cit., p. 415 s.

(6) *Die Reform*, ... p. 146.

(7) In eximiis illis quos Vindobonæ edidit articulis circa Universitatum ecclesiasticam et canonicam indolem et conditionem. V. *Zeitschrift für die gesammte katholische Theologie*, II Band, 2 Heft, et V Band, 1 Heft. Wien 1831 et 1835; capite inscripto: *Ueber die kirchliche und kirchenrechtliche Stellung der Universitäten überhaupt, und der theologischen Facultäten insbesondere*.

(8) Art. cit. operis *Kirchenlexikon*.

(9) *De l'organisation de l'enseignement dans l'Université de Paris au moyen âge*, par Charles Thurot. Paris, 1830, p. 11, nota 4.

quod luculenter secundæ sententiæ patroni conficere ducimus, homines, forsân etiam jam priscis temporibus honores prædictos et jura, spectet. Vix circa prius saltem assertum quis dubius hærebit, si consideraverit, studii generalis nomen varias ex nobilioribus illis scholis gessisse, in quibus tamen vel non omnium, vel immo unius solius generis aut facultatis disciplinæ tradebantur; similiter in variis Universitatibus unius facultatis studio *generalis* appellatio tributa cernitur. Sic, 1363, Urbanus IV, in Bulla spectante universitatem Patavinam: „ Statuimus.... quod in „ dicta civitate deinceps studium generale in eadem Theologiae facultate existat (1); „ Urbanus VI, 1384, in Bulla qua erigit facultatem Theologiæ Vindobonæ: „ Statuimus et ordinamus, quod in villa predicta in eadem „ theologia sit studium generale (2); „ — Martinus V, 1421, pro eadem facultate Montispessulani confirmata: „ Ordinamus quod in ipsa Montispessulani villa.... *studium generale theologiæ facultatis* existat, ibique dicta theologiæ facultas legatur (3). „

Ceterum his addi posset cum Thurot argumentum ex ipsorum Ordinum Religiosorum, Dominicanorum præcipue, more desumptum, quum et ipsis studium generale inter varias eorum philosophiæ theologiæque scholas a priscis temporibus illud fuerit, quo studentes ipsorum ex variis Ordinibus, quas vocant, provinciis mittantur perficiendi, gra-

(1) V. Tomasini, *Gymnasium Patavinum*, lib. 4, p. 572, apud Savigny, p. 414, et Hasel, II, 2, p. 508.

(2) V. Kink, *Geschichte der Kaiserlichen Universität zu Wien*. Wien, 1834, II Bd. S. 43; Savigny et Hasel II. cc.

(3) V. Hasel et Savigny, a quo laudatur Egrefeuille, *Histoire ecclésiastique de Montpellier avec un abrégé historique de son université et de ses collèges*. — De bullæ anno cf. Savigny, p. 414, ubi annum, quem ipse notaverat Egrefeuille, 1422 indicat, et p. 582, 585 nota d, ubi annum 1421 contra Egrefeuille egregie propugnat.

dus vero ab hujusmodi studiis generalibus collati ubique obtineant. Ut cuique compertum est, harum familiarum cum studiorum Universitatibus frequentissimæ semper fuerunt rationes intimusque nexus, et Thurot, quo rectam interni regiminis collegiorum secularium in Universitate Parisiensi fundatorum exhibeat notionem, non dubitat, Mendicantibus ceterum non nimium favens, totum Fratrum Prædicatorum studiorum ordinem et viam prolixius exponere, ipseque illud argumentum expressis verbis suppeditare (1).

Sed ad litem hujus auctoris cum Savigny aliisque modo laudatis ut transeamus, primo loco notare licebit, illud, quod Thurot supra attulit contra sententiam, quæ vocem studii generalis ad *disciplinarum* universitatem refert, argumentum, jam in hoc ultimo absolvendo negotio aliquo forsitan modo contra ipsum a Savigny posse retorqueri. Thurot, Dominicanorum studiorum rationem collegiorum secularium aliquod exemplar exstitisse dicit; pagina vero 120 eam ipsam a Fratribus Prædicatoribus secundum Universitatis modum conformatam tradit. Inde majorem etiam efficit vim argumenti ex similitudine utriusque moris desumpti. Prout vero jam notavimus, studiorum generalium vis apud Fratres Prædicatores ea quoque est, ut gradus aliquos conferant, quorum auctoritas provinciarum limites nesciat (2).

(1) V. op. cit. p. 115 ss. coll. p. 11, not. 4.

(2) En tria hujus auctoris hic conferenda loca. P. 11, not. 4 : « Je ne pense pas que l'épithète de *generale* se rapporte, ... au privilège de *docendo hic et ubique*. Je crois que *studium generale* a ici le même sens que chez les Dominicains, et se rapporte aux diverses nations qui étaient représentées dans l'Université de Paris. » — P. 115 : « On conclura de ces faits que les étudiants en théologie étaient presque tous dans des couvents ou dans des collèges. L'étude de ces établissements est donc un préliminaire indispensable à l'étude de l'organisation de l'enseignement dans la Faculté de théologie. Nous commenterons par les couvents, qui ont été établis avant la plupart des collèges et qui leur ont servi de modèle. » — P. 120 : « Le système d'études [des Dominicains] était imité de l'Université de Paris. »

Porro in ipsa Bulla Urbani VI, docendi in omnibus studiis generalibus facultatem tribuente promotis ad Doctoris vel Magistri gradum in studio generali theologiæ Vindobonæ per eam erecto, hoc privilegium indicatum reperitur continuo post factam inibi ad tales gradus promovendi, convocatis primum doctoribus, ac prævio coram illis examine, cancellario potestatem. Eundem vero ordinem etiam Urbanus IV Universitatem, exclusa tamen tunc theologiæ facultate, erigendam approbando, pro aliis facultatibus vel potius earum studiis generalibus servaverat. Utraque bulla iisdem fere omnino quoad hæc verbis utitur. Urbani VI constitutionem selegimus laudandam, quum inde quod cum Savigny, ceteris, et Thurot circa vocis *generalis, studii* verbo annexæ, vim non ad disciplinarum universitatem referendam diximus, amplius patebit. Sic loquitur Pontifex :

„ Nos igitur.... huiusmodi ipsius Alberti Ducis in hæc  
 „ parte supplicacionibus inclinati auctoritate apostolica te-  
 „ nore presencium Statuimus et eciam ordinamus, quod de  
 „ cetero in villa predicta in eadem Theologia sit Studium  
 „ generale, et quod legentes et studentes ibidem in Theolo-  
 „ gia predicta omnibus et singulis gracijs, immunitatibus,  
 „ prerogatiuis, libertatibus et priuilijs concessis Magistris,  
 „ Licenciatis, Baccallarijs ac legentibus et studentibus in  
 „ dicta Theologia commorantibus in Bononiensi uel Pari-  
 „ siensi aut predictis alijs Studijs generalibus, in quibus  
 „ quod huiusmodi Theologia legi possit a sede apostolica est  
 „ indultum, gaudeant et vtantur, quodque illi, qui, processu  
 „ temporis Baccallariatus seu licencie aut Magisterii uel  
 „ alium gradum seu honorem in dicta Theologia meruerint,  
 „ voluerint et pecierint sibi elargiri per Magistros seu Ma-  
 „ gistrum facultatis eiusdem prefato Preposito uel deputato  
 „ huiusmodi presententur, ipseque Prepositus uel deputatus

» Magistris in eadem facultate actu inibi regentibus seu  
 » alias commorantibus conuocatis illos... examinare studeat  
 » diligenter eisque si ad hoc sufficientes et ydonei reperti  
 » fuerint, hujusmodi Baccallariatus seu licencie uel magis-  
 » terij aut alium honorem seu gradum largiatur. Illi autem  
 » qui in eodem studio dicte ville examinati et approbati  
 » fuerint ac docendi licenciam et honorem seu gradum alium  
 » hujusmodi obtinuerint, vt est dictum, ex tunc absque  
 » examine et approbacione alia regendi et docendi tam in  
 » villa predicta quam in quibusuis alijs generalibus Studijs,  
 » in quibus voluerint, regere vel docere Statutis et consue-  
 » tudinibus quibuscumque contrarijs apostolica uel alia qua-  
 » uis firmitate vallatis nequaquam obstantibus plenam et  
 » liberam habeant facultatem (1). »

Ut ex hoc documento patet, illis temporibus quibus studii  
 generalis ideæ ne remotissime quidem disciplinarum univer-  
 sitas excolenda vel exulta subiacebat, gradus tamen et  
 honores in illo collati universali, *generali*, ut ita dicam, hac  
 vi præditi erant, ut illis donati ubicumque, « in quibusuis  
 » alijs studijs generalibus » jura sua exercere possent. Hac  
 generali sua vi studia generalia nobilissimum sane quum  
 possiderent privilegium, cum Savigny, Busz, Hasel aliisque  
 illud quoque in assumptum mente verbo illo *generali*, in  
 notam propriam talium studiorum, ad verbum *studium*  
 assumpto, fuisse indicandum, recte concludi ducimus.

Documenta quidem hæc non ad prima Universitatum  
 tempora referuntur. Quum tamen vocum *Studii generalis*  
 usus tunc invaluerit, quum rei vis prædicta jam propria  
 esset, postea vero videamus una cum alio, prius tractato,  
 eum harum vocum fuisse sensum, jam ab initio, quo fue-

(1) Kink, op. cit. tom. II, p. 46 s.

runt usurpatæ tale quid illas præ se tulisse recte videtur concludendum. Quod vero spectat ad Universitatis verbum, vel ad vim priscam denegandam qua voces *Studium generale* acciperentur pro Universitate disciplinarum, res modo prorsus alio se habere in promptu est.

Verbum vero *Studium* solum, pro indicando instituto nobiliori quidem modo disciplinis excolendis mancipato, jam seculo XII usurpatum occurrit, neque eodem sensu adhiberi desiit (1).

Cum Meiners (2) notemus inde a seculo XIV sæpius vocabulum *Universitatis* cum *Studii* vocabulo conjunctum fuisse, ita quidem ut diceretur *Universitas studii* Parisiensis, Vinnensis, etc.

Quantum autem ad verba *Academia*, *Gymnasium*, *Academia universalis*, *Gymnasium sublime* vel *sublimius*, *Gymnasium academicum*, hæc nonnisi apud recentiores, inde a seculo XVI, maxime nostrorum institutorum sensu usurpata fuisse docent Meiners et Häusle (3).

*Publicæ scholæ* hæc instituta sæpe dicta sunt, quum omnispportulæ ab auditoribus exigendæ magistris sublata facultate, nulli jam ex paupertate sua ipsorum præcluderetur frequentatio (4).

(1) Meiners, t. IV, p. 584. Duo antiquiora ab ipso (not. f) laudata exempla annorum 1189 et 1200 sunt: prius quidem, jusjurandi Bononiæ a magistris postulati: «Nec ero in consiliis ut *studium* hujus civitatis» minuatur» (apud Fattor., p. 64); posterius vero exhibitum in privilegio a Philippo Augusto, Galliarum rege, dato: «Capitale Parisiensis» *studii* scholarium» (ap. Bul. III, 5).

(2) L. c. p. 588. V. apud ipsum loca laudata.

(3) Cf. Meiners, l. c., p. 591-594; Häusle art. cit. in op. *Kirchenlexikon*.

(4) Meiners, l. c. p. 591.



## CAPUT III.

TRADUNTUR ALIQUORUM AUCTORUM CIRCA STUDIORUM  
UNIVERSITATES DEFINITIONES ET DESCRIPTIONES.

Quicumque eorum meminerit, quæ capite primo hujus opusculi exposuimus, diversissimas Universitatum definitiones et descriptiones, secundum varios, qui eas tradunt, auctores, inventum iri non mirabitur. Illam, quam secundum jus canonicum et Ecclesiæ mentem veram rei substantiam exhibere credimus præmittimus ceteris, ut, ante maturiorem totius negotii disputationem, quæ recta illius esse videtur, et quæ nobis in concinnanda dissertatione prælucebit idea, cunctis manifesta sit. Præmonitum autem volumus, nos revera solam notionem essentia, illa sine quibus, arbitrio nostro, jure ecclesiastico studiorum Universitas non est, hac definitione complecti studuisse. Multa quippe essentia rerum sunt proxima, et ad illarum veluti integritatem referuntur, quibus abeuntibus tamen res possunt consistere. Quum autem et hæc vel gravissima esse queant, vel per multum tempus, ita ut juris saltem speciem attingant, semper obtinuisse, quæ definitioni addenda videntur, ut non tantum variorum postulationibus, sed et voto Ecclesiæ fiat satis, breviter dicemus.

Quæ quum ita sint, priori illo, quem notavimus sensu juris ecclesiastici, studiorum Universitas ex nostra sententia recte definitur: Institutum juris ecclesiastici, Sede Apostolica auspice et custode, doctrinae et culturae universae modo excellentiori tradendae, colendae, vendicandae, per jura illam docendi imprimis, et honores ea instructis concessos

exornandæ destinatum, in bonum Ecclesiæ simul ac Reipublicæ et privatorum.

De ipsius instituti administratione interna nil hac definitione traditum invenies. Eo vel magis notare oportet, quantum semper Ecclesia in eo fuerit, ut Universitatibus sibi ipsis in his providendi, suo Marte ac jure res suas disponendi, semetipsas immo regendi et continuandi foret potestas. Quantum fieri poterat, Ecclesia summive Pontifices istis institerunt, mentemque hanc tota Universitatum historia pandit. Quodvis tamen hujus juris sit momentum, quævis Ecclesiæ in eo tuendo fuerit sollicitudo, eis nihilominus prorsus assentiendum non credimus auctoribus, qui ultra illam sui ipsius curam, sine qua alicujus instituti vita possibilis non est, tale jus aut Universitatis ex jure ecclesiastico notio servetur exigunt. Sed de his disserendi non est adhuc locus. Gradus vero et honores qui dicuntur academici tribuendi facultatem de jure ab Universitatum idea sejungi posse negandum ducimus.

His præmissis, alibi tuendis, ad scriptores transeamus. Definitionem quidem propriam paucissimi tradunt; si tamen aliquorum vel istam, vel de Universitatum saltem natura exarata, percurrens atque ad trutinam revocaveris, judicium rectum poteris de toto negotio ferre. Nos quidem hoc caput absolvemus sententias referendo, postea discrimina quæ inter diversa Universitatum genera varii statuerunt, tradituri, illuminandi deinde ex Pontificum constitutionibus sanctionibusque referendis, expendendis, in contentionis judicium vocandis cum aliorum dogmatibus, atque ex ipsa Ecclesiæ natura Universitatumque veluti vi interna vendicandis.

Cl. Newman (1) simplicissimam quandam tradit Universi-

(1) In opere : *The Office and Work of Universities*. London 1836, cap. II, p. 9.

tatum definitionem, „ *scholæ* „ nimirum „ *doctrinæ universæ*. „  
„ Secundum hanc descriptionem, ait, exigitur cœtus  
„ peregrinorum ex quacumque regione, uno loco congre-  
„ gatus... In simplici et nuda ipsius forma, Universitas est  
„ schola omnis generis disciplinarum, constans ex magistris  
„ et discipulis ex quibusvis terris. Multa quidem requirun-  
„ tur ut notio quam hæc descriptio exhibet, habeatur com-  
„ pleta illique vere fiat satis; hujusmodi tamen Universitas  
„ videtur, quoad essentiam, esse locus destinatus idearum,  
„ ope mutui hominum cum hominibus commercii, commu-  
„ nicationi et diffusioni per latum regionis ambitum (1). „

Kaltenborn (2) scribit: „ Universitas juxta prædicta secun-  
„ dum principem sui notam ut scientiæ liberum sui que juris  
„ institutum se exhibet. „ — In capitis præcedentis fine  
dixerat: „ Hæc societas liberorum doctrinæ universæ patro-  
norum constituit Universitatem (3). „

Ipsæ quædam publicæ litteræ etiam definitionem nobis  
suppeditant. Lex rogata universalis de tradenda doctrina et

(1) « If I were asked to describe as briefly and popularly as I could,  
» what a University was, I should draw my answer from its ancient de-  
» signation of a *studium generale* (a), or « School of Universal Learning. »  
» This description implies the assemblage of strangers from all parts in  
» one spot... Accordingly, in its simple and rudimental form, it is a  
» school of knowledge of every kind, consisting of teachers and learners  
» from every quarter. Many things are requisite to complete and satisfy  
» the idea embodied in this description; but such a University seems to  
» be in its essence, a place for the communication and circulation of  
» thought, by means of personal intercourse, through a wide extent of  
» country. »

(2) *Staat, Gemeinde, Kirche, Schule, insbesondere Universitäten und ihre Reform.* Halle, 1848.

(3) « Die Universität erscheint demnach ihrem wesentlichen Charakter  
» nach als eine freie, selbstständige Anstalt der Wissenschaft. » — « Diese  
» Genossenschaft der freien Vertreter der Wissenschaft in ihrer Ganzheit  
» ist die *Universität*. » P. 54, cap. III et II.

(a) Quoad hæc, cf. dicta capite præcedente de vi vocum *studium generale*, p. 11 ss.

disciplina in ducatu Schleswick-Holsatiæ, capite *De Universitatibus*, § 119, hæc habet : « Universitas est institutum »  
 » uno loco doctrinam universam repræsentans per corpus »  
 » aliquod unum, in se ordinatum et connexum, juribus »  
 » propriis præditum, constansque ex omnibus viris et »  
 » institutis, quibus repræsentetur doctrina universa, neces- »  
 » sariis. Finis vero ipsius est, hinc disciplinarum doctrinam »  
 » simpliciter propter ipsius hujus doctrinæ excellentiam »  
 » reipublicæ servare, ipsamque promovere, illinc juvenes »  
 » illos, qui alicui nobiliorum, quæ civibus patent, munerum »  
 » se destinaverunt, his obeundis aptos efficere (1). »

Rotteck et Welcker (2), in opere cui titulus *Lexicon rerum politicarum*, articulo *Universitas* hanc sequentibus describunt : « Ævi recentioris et gentium Christiano-Germanarum »  
 » institutorum præstantissimum et præ omnibus proprium, »  
 » libere et independenter perficiendæ et promovendæ ex- »  
 » cellentiori culturæ universæ, universoque moderando

(1) « Die Universität ist die Vertretung der gesammten Wissenschaft »  
 » an Einem Orte durch corporative Gemeinschaft aller für solche Vertre- »  
 » tung erforderlichen Personen und Institute, und hat den Zweck, einer- »  
 » seits die Wissenschaft schlechthin um ihrer selbstwillen dem Lande »  
 » zu erhalten und weiter zu fördern, andererseits, diejenige Jugend, »  
 » welche für irgend einen der höheren Berufe im Staatsleben sich be- »  
 » stimmt hat, für diese Berufe geschickt zu machen. » — V. *Deutsche »  
 » Universitätszeitung*, diei 27 Junii 1849.

(2) *Staatlexikon oder Encyclopädie der Staatswissenschaften*, heraus-  
 gegeben von Carl von Rotteck und Carl Welcker, Altona, Hamme-  
 rich, 1848. — Hoc ipso, quo nunc scribo, tempore, nova hujus operis  
 editio emittitur, sed quum publicetur per partes neque ad verbum *Uni-*  
*versitas* hucusque provecta sit, nonnisi veteris placita ad adjudicandos  
 auctores afferri possunt; quæ si mutata forsitan, post varia præclara  
 catholicorum scriptorum exinde edita circa rem nostram scripta, prodibunt,  
 venia sit variis, quæ in hoc, et præcipue in quinto capite, postea  
 non parum impugnanda, ex illis describimus. Cautum vero eo vel magis  
 illud habere volui, quod ipsa anni 1848 editio multa breviori saltem  
 modo, ne dicam minus infenso, quam alia, quondam a me visa, tractet.

» secundum disciplinarum litterarumque rationes, cultui  
» publicorum ac privatorum morum destinatum (1). »

Huic suæ, vel potius Scheidleri, cujus de Universitatibus  
dissertationem tradentes, suam faciunt, definitioni, illico  
uberiorem descriptionem ibidem subjungunt, qua docemur  
quæ nunc oculis subjicimus.

Universitates proxime quidem *scholæ* sunt, id est, socie-  
tates docentium discentiumque ad communicandam viva  
voce, secundum internam rationisque dispositionem, doc-  
trinam quæ propriis audientium usibus accommodata sit. —  
*Scholæ* vero *doctæ* sunt, quum doctrinam, tum quam ipsæ  
foveant, tum quæ gravissimis populi ac reipublicæ vitæ  
commodis et necessitatibus adhibeatur, excolant. — *Scholæ*  
sunt *altæ* (*Hochschulen*) ratione quidem studiosorum matu-  
rioris juventutis; ratione etiam magistrorum, qui, vere  
«magistri» doctrinæ, membra litterarum illius veluti civi-  
tatis existant; ratione modi tandem quo ibi docetur, quum  
in ipsis altiora magisque intima doctrinarum momenta,  
dogmata in quibus vertuntur, perscrutanda appetantur,  
studiosorumque juvenum animus sciendi fervore inflam-  
mandus proponatur. — *Scholæ* porro sunt *universales* ex  
earum Universitatis (2) nota, tum propter interiorem, mutuum  
ordinatamque omnium disciplinarum cohærentiam, quarum  
præcipuæ saltem, sin minus omnes, ibi docentur, tum  
quia *hominis universi*, secundum omnes ipsius facultates,

(1) « Das grosartigste, eigenthümlichste Institut der Neuen Welt und  
» der Christlich-germanischen Menschheit, bestimmt zur freien, selbst-  
» ständigen Ausbildung und Förderung der gesammten höheren Bil-  
» dung, und zur wissenschaftlichen Leitung der ganzen Cultur. »

(2) Hanc Universitatis notam prout hic ab AA. nostris accipitur,  
prorsus differre a vocis *Universitas* secundum jus civile romanum sensu,  
quem alio loco ipsi Rotteck et Welcker, vel eorum auctor Scheidler, ut  
prisicum vocis momentum agnoseunt, ex sequentibus cuique compertum  
erit.

perficiendam culturam intendunt; tum ratione quoque habita, hinc totius gentis, cui quævis in ea sita schola hujusmodi veluti nobile quoddam centrum exstet luminis et intellectus; mundi illinc, ut ita dicam, universi contemplatione, quum doctrina disciplinarum res communis sit universi culti generis hominum, sicuti Religio quoque et artes.

Hoc vero etiam ab antiquissimis Universitatum temporibus obtinuit, ut istæ nimirum forent loca quædam quo frequentissimi et liberrimi convenirent universæ terræ Europæ viri, eruditione et urbanitate vel imbuendi vel imbuti et exculi, discipuli et magistri; dum aliunde honores vel gradus, qui vocantur academici, in quovis pro vera Universitate agnito instituto collati, ubique locorum vim suam exsererent. Hac vero sua indole Universitates veluti ministræ sunt altioris illius notæ viri bene culti et eruditi tribuendæ, ita quidem ut qui earum civis non fuerit hac, perfecta saltem, eo ipso careat, neque sensu nostro pro tali haberi possit quem *gentleman* Angli declararent. — Universitates tandem etiam dicendæ sunt *scholæ Reipublicæ*, tum quia, in Germania præcipue, ab omnibus qui illi, ipsiusve commodis et necessitatibus altioribus administrandis devotentur, determinata quædam Universitatis alicujus frequentatione acquirenda cultura exigitur, tum quia instituta hæc, quorum tanti sua interest, ex opibus propriis, quantum necesse sit, respublica sustinet et exornat. Reipublicæ vero instituta eo sensu procul sit ut habeantur, quo reipublicæ magistratibus ipsorumque definitionibus cuncta circa illarum leges gubernationemque administranda committantur. Tantum abest ut ita se res habeat, ut *liberam sui que juris* in rebus suis internis ordinandis *societatem* constituent, quæ in variarum societatum, quibus respublica coalescit, universitate, eminent et plerumque a jure publico ut talis agnoscitur.

Cl. Möhler (1) non tam definitionem Universitatum tradit sequentibus verbis, quam ipsorum potius describendum suscipit finem : « Universitates, inquit, hunc finem habent, » ut variam in republica sparsam, per vitam hujusque » innumerabiles angustias, necessitates et pugnas præ- » paratam doctrinæ copiam in semetipsas colligentes, ipsam » mox concoctam in omnes reipublicæ partes remittant (2).»

Savigny (3) præcipuum Universitatum momentum, ab aliis scholis illas segregans, in ea dignitatis internæ et libertatis nota ponit, qua discipuli præditi, ad altiorem quamdam, nobiliorem et solutiorem disciplinarum traditionem aptentur, quæ de vita veluti ad vitam descendat. Ipsarum est, optima quæque et præstantissima, quantum quavis ætate disciplinæ profecerunt, per viros his vere deditos, illarum simul servos studiosissimosque patronos, discipulis qui talibus magistris non sint indigni viva illa quam diximus declaratione communicare. Talem dignitatis illius et libertatis notam tam intime cum Universitatum indole colligatam Savigny docet, ut simul cum illa institutum ipsum vel minui vel perire censeat.

Post illos argumenti nostri proprios veluti patronos, audiamus alios nonnullos auctores. Bescherelle (4), verbo *Université*, hæc habet : « Corpus magistrorum auctoritate

(1) Dr J. A. Möhler's *Gesammelte Schriften und Aufsätze*, Regensburg, 1859, in eo tomi I scripto cui titulus : *Kurze Betrachtungen über das historische Verhältnisz der Universitäten zum Staate*.

(2) « Die Universitäten haben die Bestimmung das mannigfaltige, im Staate verbreitete, durch das Leben, seine unendlichen Nöthen, Bedürfnisse und Kämpfe vorbereitete Wissen in sich zusammenzufassen, und dann wieder eigenthümlich verarbeitet in alle Theile des Staates zurückzusenden. »

(3) Op. cit. p. 155.

(4) *Dictionnaire national, ou Dictionnaire universel de la langue française*, par M. Bescherelle aîné. Paris 1830.

» publica ad docendas linguas, litteras, philosophiam scien-  
» tiasque constitutum (1). »

Mirandum vero videtur, hac sua definitione laudatum scriptorem antiquas quoque, ipsasque antiquissimas medi ævi Universitates a se descriptas credere, quum in exemplum varias ex illis temporibus vocet, instituti vero illius, quod vulgo in ipsaque lege *Université de France* appellatur, totamque reipublicæ docendi rationem complectitur, propria descriptione commemoret.

Hæc brevius aliqui declaraverunt; alii rem paulo fusius exponunt, quorum quosdam laudare visum est.

In Cl<sup>i</sup> Walter nuperrime edito opere (2) hæc circa Universitatum naturam tradita reperimus.

§ 454. « Super universali in scholis, quas dicunt, doctis  
» posito fundamento disciplinarum excolendarum, singula-  
» rum inter illas exædificatio usque ad summum apicem  
» attollitur. Negotium illud doctorum virorum opera, vel  
» libros circa disciplinas conscribentium, vel has docentium,  
» locum habet. Ex talium, si doceant, conjunctione, scholæ  
» supremi gradus exoriuntur. Horum vero virorum tunc est,  
» hinc disciplinam cui devoentur, quantum progressa est,  
» discipulis idoneæ ætatis tradere, ipsamque in commune  
» commodum referre; inde vero, litterarum progressui,  
» studia circa ipsas propria tum docendo tum scribendo  
» communicantes, prospicere, aliosque, qui idem faciant,

(1) « Corps de professeurs établi par autorité publique pour enseigner  
» les langues, les belles-lettres, la philosophie et les sciences. » —  
Voci *sciences* hic non sensum sæpius tamen illi proprium totiusque  
sententiæ textui magis consonum, disciplinarum nempe matheseos  
et physicarum tribuimus, ne forte auctori injuriam immeritam in-  
ferremus.

(2) *Naturrecht und Politik im Lichte der Gegenwart*, von Ferdinand  
Walter. Bonn 1863. — V. § De Universitatibus.



„ excitare. Utrique huic negotio, si necessitas tulerit, pro  
 „ singulis disciplinis per scholas peculiare variis locis dis-  
 „ sitas provideri potest. Quarum tamen in unum ac com-  
 „ mune doctrinae institutum, in Universitatem, conjunctioni  
 „ multa favent. Primo quidem, quod singulae disciplinae  
 „ revera partes tantum sunt unius magni universique cor-  
 „ poris scientiae, mutuasque inter se habent necessitates.  
 „ Secundo, quod talis conjunctio tam docentium quam dis-  
 „ cipulorum ingenio campum latiore multiplicemque rerum  
 „ adspectum aperit. Tertio vero, quod uniuscujusque ordi-  
 „ nis et officii, immo totius reipublicae, interest, ut, per  
 „ operam datam studiis philosophicis, historicis vel philolo-  
 „ gicis, cum singularum scientiarum cultu altior quoque ac  
 „ generalior ingenii cultura jungatur. § 455. Gravissi-  
 „ mum ac praecipuum Universitatum momentum versatur in  
 „ studio investigandi inquirendique res disciplinarum, pene-  
 „ trando ad extremas earundem provincias, ardore quies-  
 „ cere nescio novas sibi semitas methodosque aperiendo,  
 „ ac peramanter et ex animo disciplinarum bona tradendo  
 „ adolescentibus, qui iis utantur, fruantur eaque porro  
 „ excolant. Studium autem illud et semitas illas reipublicae  
 „ magistratus praescribere vel aperire nequeunt; unde enim  
 „ horum illis inderetur intelligentia ac sapientia? In ipso  
 „ magistrorum corpore tantum spiritus iste gigni potest,  
 „ foveri, ac tradi. Exinde hujus quoque corporis est per se  
 „ ipsum sibi providere, ac duplici quidem modo, de refi-  
 „ ciendo vel complendo suorum numero. Primus autem  
 „ modus est, ut excolat in ipso sinu suo illos qui docendi  
 „ munus mox ibi suscipient; de illis, utrum doctrinae copia  
 „ dicendique virtute satis polleant, iudicium ferat, illosque,  
 „ qui sub ipsius custodia hujus officii pericula faciant, ad-  
 „ mittat. In his, proprie nimirum ad artium disciplinarum-

„ que curam spectantibus , corpus docentium a civili minime  
 „ pendere potest republica. Secundus vero modus est , ut  
 „ in seligendis vereque nominandis illis , qui in sinu suo  
 „ doceant , magistris , partes aliquæ huic corpori tribuantur.  
 „ Nihilominus tum propter periculum ne , ex usu præ-  
 „ judicatisve opinionibus , varia , quæ consideratione digna  
 „ forent , negligentur , vel personarum aut favor aut  
 „ invidia interveniat , tum etiam propter opportunorum  
 „ reddituum considerationem , reipublicæ quoque modera-  
 „ tores in aliquam harum curarum partem vocari quam  
 „ maxime oportere pronuntiandum est. Necesse tamen est ,  
 „ ut magistratus cui id officii tribuatur , sollicitus sit ipse  
 „ et capax censendi judicandique ex solis altis illis et ab  
 „ omni partium studio alienis , a disciplinarum natura et  
 „ postulatis desumptis rationibus. — § 456. Quod si ultra  
 „ hanc , qua provideat de idoneorum magistrorum nomina-  
 „ tione , de opum externarum copia , de variarum , quæ  
 „ tradantur , disciplinarum descriptione , et de aliis exteriora  
 „ potius spectantibus , reipublicæ curam , alias sibi hæc  
 „ partes assumeret , indoli Universitatum earumque cum  
 „ republica rationibus hoc adversaretur. Tutela alicujus  
 „ extraneæ potestatis , cui subjicerentur disciplinarum  
 „ intima , cum ipsa harum natura pugnat ; suæ in his  
 „ liberæ omnino ac propriæ actioni permitti debent. Hæc  
 „ tamen , ut quævis sana libertas , finibus quibusdam tum  
 „ internis tum externis circumscribitur. Contra errorum  
 „ mala vel pericula regulariter quidem disciplinarum pro-  
 „ priæ , quæ illis medeatur , fidendum est virtuti , ad illasque  
 „ provocandum. Si tamen errores illi in iis rebus , ubi  
 „ hominum proxima reperiuntur agendi momenta , versen-  
 „ tur ; si a Religionis , bonorum morum , ordinis publici  
 „ studio mentes alienent ; tunc enimvero ii , quibus cura

» reipublicæ commissa est, hos doceri sinere nequeunt ;  
» pugnancia enim prosequerentur, actiones quidem punien-  
» tes, fontem vero venenatum unde ejusmodi actiones pro-  
» fluunt sub sua cura tutelaque subsistere permittentes.  
» — § 457. Disserendo tamen de Universitatibus, non de  
» doctrina solum vel magistris sermo instituendus est; locus  
» haud minus princeps studiosæ debetur juventuti, a qua ni-  
» mirum disciplinarum, ac, pro parte, ipsius reipublicæ fata  
» futura pendent. Ipsis Universitas ultimus præparationis  
» gradus esse debet, a quo, cognitione ac scientia selecto  
» sibi vivendi generi necessariis instructi, imbutique, per  
» disciplinarum usum familiarem, altiori illa et nobiliori  
» sapiendi judicandique ratione, ad vitæ civilis et publicæ  
» pericula progrediantur. Talis igitur libertatis auctorita-  
» tisque propriæ modus ipsis debetur, qui, juventutis jam  
» provectoris ætatem dum decet, ad fortem virilemque  
» mentis et animi indolem perficiendam omnino requiritur.  
» Quæ tamen libertas reipublicæ magistratuum curam non  
» excludit, qua studia in vias proprias et idoneas directa,  
» a pravis ineundis custodiantur, juvenilisque ætas ab  
» amaris experiendis et a lugendo mox inutiliter deper-  
» dito tempore servetur. In his, pro melioris rerum in-  
» telligentia majore sua auctoritate, reipublicæ tam in  
» parentes quam in studiosos juvenes ea officia incumbunt,  
» quorum leve pondus non est.

» Nobilissimam academicæ libertatis et characteris, ut  
» ita dicam, academici imaginem mores academici exhi-  
» bent. Qui quidem si in seipsis et liberi ab omni commix-  
» tione considerentur, fundantur in ea persuasionem, quod  
» animus disciplinis obnoxius quotidianusque studiorum  
» usus hominum ingenia et mentes supra vulgarium men-  
» suram extollant, illisque nobiliorem quemdam rerum con-

„ templandarum judicandarumque sensum communicent ,  
 „ qui in mutuis quoque studiosorum juvenum inter se  
 „ rationibus, et in ipsorum cum aliis commercio, ut in  
 „ speculo cerni debeat, illisque in his, nullo ordinis vel  
 „ originis facto discrimine, eadem officia, easdemque ha-  
 „ bendas hominum et rerum rationes imponat. Morum  
 „ ejusmodi præcipua lineamenta in amœnam aliquam spe-  
 „ ciem veluti coalescunt : — animus nempe ille ab omni  
 „ quod ignobile sit ac vulgare alienus, disciplinarum et  
 „ magistrorum observantia, sinceritatis et fidei studium,  
 „ grata atque jucunda hilaritas, juvenisque et integra  
 „ vivendi alacritas. Hi mores ipsi præclarissimum præstant  
 „ educationis momentum, quod tum vanam ridiculamque  
 „ nescio quam scholarum disciplinam, tum rusticitatem ac  
 „ inhumanitatem vivendi præcludit, et quo studiosorum  
 „ Universitas reipublicæ de viris non ad doctrinas tantum  
 „ institutis, sed animi quoque constantia ac vigore pol-  
 „ lentibus providet. Sensus etiam et studium pudoris et  
 „ dignitatis propriæ, in juvenibus tam facile movenda,  
 „ locum non minimum hac in re obtinent, neque nisi  
 „ adhibitis judiciis quibusdam arbitrorum priorum, de  
 „ honoris, quas dicunt, causis inter cives academicos  
 „ judicantibus, in vias rectas dirigi queunt. — Quantum-  
 „ vis licet res, prout nunc exstant, ab illa quam exhibui-  
 „ mus imagine distent, nucleum tamen aliquem continent,  
 „ cujus asservandi et excolendi perquam sollicita cura esse  
 „ debet (1). „

(\*) «*Die Universität.* 454. Auf der von den gelehrten Schulen gelegten  
 allgemeinen wissenschaftlichen Grundlage erhebt sich der Ausbau der  
 einzelnen Wissenschaften bis zu der höchsten Spitze hin. Dieser geschieht  
 durch die Gelehrten, welche dafür theils durch wissenschaftliche Werke  
 theils durch Lehren thätig sind. Aus der Vereinigung solcher lehrenden  
 Gelehrten entstehen die Lehranstalten der obersten Stufe. Die Aufgabe

Bonnensis Universitatis Professorem jam Monacensis excipiat, cl. Reithmayr, in oratione supra laudata Universitatis

derselben ist theils die, den Inhalt einer Wissenschaft nach dem dormaligen Standpunkt des Wissens dem dazu reifen Lebensalter vorzutragen und gemeinnützig zu machen; theils aber auch die, die Wissenschaft durch die in dem Unterricht und in literarischen Arbeiten niedergelegten Forschungen weiter zu führen, und andere zu dieser Thätigkeit aufzumuntern. Beides kann für jede einzelne Wissenschaft zur Noth in an verschiedenen Orten zerstreut liegenden Specialschulen geschehen. Die Vereinigung derselben zu einer groszen Gesamtlehranstalt, zu einer Universität, hat jedoch entschieden für sich, erstens, dasz die einzelnen Wissenschaften doch nur Theile des groszen Gesamtorganismus des Wissens sind und sich unter einander berühren; zweitens, dasz eine solche Vereinigung für den Lehrer wie für die Lernenden den Blick erweitert und die Vielseitigkeit fördert; drittens, dasz mit der Fachwissenschaft eine höhere allgemeine Bildung durch philosophische, historische oder philologische Studien zu verbinden für jeden Stand und Beruf und zum Theil selbst für den Staat von Wichtigkeit und Interesse ist...

455. Das Wesentliche der Universitäten ist der Geist der wissenschaftlichen Forschung, der in allen diesen Gebieten bis an die äussersten Gränzen vordringt, sich in rastlosem Eifer neue Bahnen und neue Methoden schafft, und mit Liebe und Hingebung für die Ueberlieferung der Wissenschaften an die junge Generation zu deren Anwendung und weiteren Ausbau thätig ist. Dieser Geist und diese Bahnen können von der Staatsregierung nicht vorgezeichnet werden; denn woher sollte dieser diese Einsicht und Weisheit kommen? Er kann nur in dem Lehrkörper selbst erzeugt, gepflegt und überliefert werden. Dieser kann daher auch nur durch sich selbst ergänzt werden, und zwar in doppelter Weise. Erstens dadurch, dasz er die neu angehenden Lehrer in seiner Mitte ausbildet, über deren erlangte wissenschaftliche und Lehrbefähigung entscheidet und sie als angehende Lehrer unter ihrer Aufsicht zuläszl. In dieser Function, da sie rein wissenschaftlicher Art ist, musz der Lehrkörper von der Staatsgewalt ganz unabhängig sein. Zweitens dadurch, dasz er auch zur Berufung und wirklichen Anstellung der Lehrer in seiner Mitte mitwirkt. Jedoch machen die Gefahren einer gewissen Einseitigkeit, der persönlichen Gunst und Miszgunst, und selbst die finanziellen Erwägungen die Concurrrenz der Staatsregierung in hohem Grade rathsam. Nur musz die dabei thätige Behörde auch selbst den entsprechenden hohen und unpartheiischen wissenschaftlichen Standpunkt einzunehmen bedacht und befähigt sein.

456. Eine andere Einwirkung der staatlichen Fürsorge auf die Universitäten als die zur angemessenen Besetzung der Lehrstellen, zur Herbeischaffung der materiellen Mittel, zur Feststellung des Schematismus

ideam et naturam describens. Notemus tamen, ante laudanda nunc ipsius verba, instituti scopum mox clarioribus Reli-

der Lehrvorträge und ähnlicher Aeuszerlichkeiten ist dem Geiste dieser Verhältnisse zuwider. Eine Bevormundung des Inneren der Wissenschaft widerstrebt ihrer Natur; sie musz ihrer eigenen freien Bewegung überlassen sein. Jedoch hat diese Freiheit wie jede vernünftige Freiheit ihre innere und äuszere Gränze. Gegen den Irrthum ist allerdings regelmäszig auf die berichtigende Kraft der Wissenschaft selbst zu vertrauen und diese dazu aufzubieten. Wenn jedoch der Irrthum seinen Sitz in den Regionen aufschlägt, wo die unmittelbaren Triebfedern der Handlungen ruhen, wenn er hier die Gemüther der Religion, der Sittlichkeit, der bürgerlichen Ordnung entfremdet: so darf die Staatsgewalt dessen Lehre nicht dulden, weil es ein innerer Widerspruch wäre, die Handlungen zu bestrafen, die vergiftete Quelle aber, woraus diese Handlungen flieszen, unter ihrer Aufsicht und Pflege bestehen zu lassen....

437. Es handelt sich aber bei den Universitäten nicht bloz um die Lehre und die Lehrer; es handelt sich wesentlich auch um die akademische Jugend; denn von dieser hängt die Zukunft der Wissenschaft und zum Theil die des Staates ab. Für sie soll die Universität die letzte Vorbereitungsstufe sein, von welcher sie, ausgestattet mit den für den erwählten Lebensberuf nöthigen Kenntnissen, und mit der im Umgang mit den Wissenschaften erworbenen höheren Gesinnung, in das bürgerliche und öffentliche Leben übertreten soll. Es musz ihr daher das Masz der Freiheit und Selbstbestimmung eingeräumt sein, welche dem vorgeschrittenen Jugendalter entspricht, und zur kräftigen männlichen Ausbildung des Geistes und des Charakters unerläszlich ist. Diese Freiheit schlieszt jedoch die Einwirkung der Staatsgewalt nicht aus, wodurch die Studien in die richtige Bahnen geleitet und vor Abwegen bewahrt, und wodurch dem jugendlichen Alter kostspielige Erfahrungen und die Reue einer nutzlos verlorenen Zeit erspart werden. Der Staat hat darin nach dem Uebergewicht seiner besseren Einsicht gegen die Studirenden wie gegen deren Eltern Pflichten, womit er es nicht leicht nehmen darf. Der edelste Ausdruck der akademischen Freiheit und Eigenthümlichkeit ist die akademische Sitte. Diese in ihrer Reinheit gedacht beruht auf dem Gefühle, dasz die Hingebung an die Wissenschaft und der tägliche Umgang mit den Studien Geist und Gemüth über das Gewöhnliche hinaus heben, und ihnen eine edlere Lebensanschauung und Lebensauffassung mittheilen, die sich auch in dem Verhalten der Studirenden sowohl unter sich als nach Auszen abspiegeln soll, und ihr darin ohne Unterschied des Standes und der Geburt gleiche Pflichten und gleiche Rücksichten auferlegt. Abneigung gegen alles Unedle und Gemeine, Achtung vor der Wissenschaft und ihren Vertretern, Wahrhaftigkeit und Treue, Gemüthlichkeit, Heiterkeit und jugendliche, frische Lebenslust sind

gionis bonum tam commune quam singulorum, simul cum eo, quem nunc dicit, sine ipsum indicare.

« Nobilior quædam erat et ex imis temporum illorum  
» præcordiis enascens omniaque ordinans appetitio, qua,  
» ante disruptam fidei unitatem, altiusque ab invidia et  
» simultate turritos variorum regnorum cancellos, singu-  
» laria hæc corpora quasi parvulæ quædam sui juris  
» republicæ conformabantur; in quibus animi opes tem-  
» porum præteritorum industria partæ et acquisitæ col-  
» ligerentur et reponerentur, et sub aliqua veluti Treuga  
» Dei inviolatæ servatæ et auctæ, hominibus adolescentis  
» ævi traderentur (1). » Mox cl. auctor tria, quæ dicam,  
juris momenta affert, quibus totum corpus istud consti-  
tutum fuerit. Expressa hæc habet in ipsis quibus est  
Universitas, cui præest, instituta litteris; instituta siqui-  
dem hæc fuit ut « *alta, generalis, ac libera universitas* et  
» *schola* (2). »

die Grundzüge, die sich darin zu einem anmuthigen Bilde mischen. Sie ist das große Erziehungsmittel, welches einerseits vor pedantischem Schulwesen, andererseits vor Roheit schützt, und wodurch die Universität dem Staate nicht bloß zur Wissenschaft abgerichtete Köpfe, sondern auch Charaktere liefern soll. Auch das leicht reizbare jugendliche Ehrgefühl nimmt darin eine Stelle ein, und kann nicht anders als durch genossenschaftliche Ehrengerichte in die richtige Bahnen geleitet werden. Wie weit auch die Wirklichkeit von jenem Bilde entfernt sein mag, so birgt sie doch einen gewissen Kern, auf dessen Bewahrung und Ausbildung man sorgfältig bedacht sein muß.»

(1) « Es war ein höherer, aus dem innersten Marke jener Zeit  
» genomener organisirender Trieb, welcher, bevor noch die Glau-  
» benseinheit zersprengt, und die Territorialschranke von der Eifersucht  
» höher aufgethürmt war, in diesen eigenthümlichen Körperschaften  
» eine Art kleiner Freistaaten ausgestaltete, worin die geistige Errun-  
» genschaft vergangener Zeiten gesammelt, hinterlegt und wie unter  
» dem Gottes-Frieden unantastbar bewahrt, vermehrt, den kommenden  
» Geschlechtern fortüberliefert werden sollte. »

(2) « Ein hohe gemain virdig und gefrayete Universited unt Schuel, »  
ut veteres illæ litteræ dicunt.

Ultimam illam liberæ scholæ notam cl. auctor primo loco explicandam suscipit. Proficiscitur videlicet ab idea populis mediæ ævi communi ac familiari unitatis illius superioris, quam cuncti per fidem bonaque fidei participarent, et quæ nomine Christianitatis nunc quoque in linguis saltem diversarum gentium Christianam fidem profitentium obtinet. Exinde ostendit quomodo pro hujus opibus et divitiis, pro dotibus etiam ceteris ingenii, doctrinarum et artium, tam intime cum istis connexis, mediæ ævi nationes nonnisi unam aliquam omnium, illamque Christianam rempublicam agnoverint. Instituta nostra altioris hujus fraternitatis potiora receperunt beneficia illiusque nobilissimum documentum ipsorum exstat libertas. Fines illos, cancellos et terminos, quibus tam sollicitè varia regna regnorumque vel minutas partes ab invicem gentes istæ separabant, fortunas resque suas externas auctum iri credentes innumeris ubicumque pro mercedibus rebusque peregrinis postulatis portoriis, pro omnibus Universitatum sociis nihil dubitantes sustulerunt. Juribus porro amplissimis, quibus ex quacumque regione advenissent omnes fruerentur, socios illos stipaverunt, talibusque, quibus non in solo instituti oppido sed per viam quoque ab omni injuria forent securi. Sic revera respUBLICÆ illæ disciplinarum et artium patriam aliquam istorum bonorum communem viris totius Christianorum orbis præbebant. Quum vero aliunde, prout infra videndum erit, gradus et honores ab Universitatum Cancellariis Apostolicis renuntiati ubique terrarum vim suam exsererent, neque ex mansionis, neque ex commodorum e studiis colligendorum parte, quidquam, quominus omne genus peregrinorum ad illustrium magistrorum illustres sedes properarent, intercedebat. Hoc autem revera ac tali quidem modo locum habuit, ut, qui celebriores mediæ ævi Universitates inviserit, neque montium



neque fluminum neque cœli neque morum aliquod ipsarum accessui impedimentum efficax opposuisse judicaverit.

Prima igitur hæc quam cl. Reithmayr indicat nota, Universitates singulæ velut patria aliqua communis, vere *Alma Mater* existebant, cujus filii neque re neque nomine in græcos et barbaros, indigenas et peregrinos separabantur.

Ut nobile tamen fuerit hujusmodi proprietatis commodum, plenam illius eo tempore præstantiam non nisi secunda quoque nota considerata perspectam quis habebit. Hæc ea est, qua mediæ ævi studiorum Universitas veram illam quam diximus juris civilis ac communis *universitatem* constituebat. Hujus jam nominis vis, prout neminem juris peritum fallit, ea est, ut, qui alicujus corporis in finem quemdam congregati sunt socii, talibus juribus fruuntur, quibus negotia sua ipsi ac libere administrant, et in foro tueantur, atque officia omnia, vel mutua vel in externos, quibus finem illum assequantur, et adimpleant et adimplenda per alios exposcant, verbo, verum aliquod sui juris et martis institutum existant. Verba cl<sup>i</sup> auctoris rem melius describunt, quam ut ea prætermittam :

“ Nota propria et appetitio mediæ ævi illa, qua certi fines  
 ” assequendi veluti centra quædam vitæ constituebantur,  
 ” ut ad instar cordis sanguinem vitamque recipientis et  
 ” quocumque refundentis, in corporibus sic enatis vires  
 ” nutrientes et condentes circum se attraherent atque dis-  
 ” ponerent, illa ipsa in nostris quoque scholis jus suum  
 ” exsequuta est, et proxime quidem ab interioribus ad  
 ” exteriora incremento. In mediis tot jam societatibus,  
 ” quæ finibus et commodis communibus hominum, actione  
 ” ordinata et propria, devovebantur, scholæ illæ, sui juris  
 ” quæ erant et tantis favoribus cumulata, unum aliquod

„ sibi destinaverant et agendorum et appetendorum et  
 „ providendorum et conferendorum lucidum centrum. Sic  
 „ uno illo appetitionis fine, sciendi nimirum studio, collecti  
 „ et intime uniti docentes et studiosi, magistri ac discipuli  
 „ omnibus quoque manifestam constituebant et ordinabant  
 „ veram juris civilis universitatem. Hæc autem, uno eodem-  
 „ que cunctorum spiritu parta et fota, vi constitutionis  
 „ legumque suarum omnes qui ejus membra fiebant iis-  
 „ dem rationibus obnoxios reddebat, dum aliunde, omnibus  
 „ instructa quibus sui martis et juris libera instituta effi-  
 „ ciuntur, in medio illo rerum universarum complexu,  
 „ Ecclesia nimirum et republica, sub earumque suprema  
 „ quadam auctoritate, viis tamen propriis ac suis gradie-  
 „ batur (1). „

Tertiam notam auctor tradit eam qua jam cl<sup>m</sup> Newman  
 descriptione quadam generalissima Universitates dixisse  
 vidimus scholas doctrinæ universæ (2). Post expositam prio-

(1) « Der charakteristische Zug und instinktartige Trieb des Mittelalters, gewisse Zwecke zu Lebenscentren zu machen, um welche, wie um das pulsirende Herz, die nährenden und schaffenden Kräfte ihre Kreise her ziehen, dieser machte sich auch in unseren Schulen, und zwar zuvorderst von Innen nach Auszen hin, geltend. Neben und in Mitten der vielen Corporationen, welche bereits erstanden und vorhanden, ihre organisirte Thätigkeit besonderen Zwecken und Interessen des gemeinen Lebens widmeten, schlossen auch die gefreiten und hoch begünstigten Schulen um den einen leuchtenden Punkt her die Kreise ihres Wirkens und Strebens, der Produktion und des Absatzes zusammen. Lehrer und Hörer, Meister und Jünger, um das eine Ziel her — die Wissenschaft — gesammelt und innerlich vereint, constituirten und ordneten auch in der Erscheinung ein *organisirtes Gemeinwesen* (*Universitas*), welches, wie von Einem Geiste erzeugt und getragen, Alle, die da eintraten, durch Verfassung und Gesetz für die gleichen Interessen in Pflicht nahm, und mit Allem ausgestattet, was zu autonomer Selbstständigkeit gehört, in und mit dem groszen Ganzen — Kirche und Staat — und unter deren Oberhoheit einen besonderen Weg fortsetzte (pp. 10 et 11). »

(2) Cfr. p. 51.

rum scholarum ut doctrinis aliquibus singularibus destinatarum indolem, his eximius auctor pergit :

„ Temporum, quæ seculum XII subsequuta sunt, in his  
 „ quoque decretorius fuit progressus. Studio juris Bono-  
 „ niensi vix ut Universitas in corpus proprium sui que  
 „ martis ordinato, velut flamma quædam improvisa mentes  
 „ accensæ, consilium inierunt omnia ista, quibus disciplinæ  
 „ nomen et honores competant, inter se propiora red-  
 „ dendi, momentisque communibus juvantibus locorum ea  
 „ indolisque communitate colligandi, et sic scholarum vel  
 „ Universitatum eo usque specialium, ut theologiæ vel  
 „ artium, vel juris, vel disciplinarum medicarum angustam  
 „ unitatem seu peculiarem existentiam constituendi in  
 „ altiori quadam Unitate seu ampliore existentia communi,  
 „ nimirum in Universitate quæ jam *omnium* disciplinarum  
 „ genera omniumque magistros atque discipulos sinu suo  
 „ comprehenderet. Ita, per omnium disciplinarum com-  
 „ munionem, schola illa libera (*gefreite*) in communem  
 „ (*gemaine*) vel universalem, omnes scientiæ provincias  
 „ complectentem, in *Studium*, quod dicunt, *generale* ex-  
 „ crevit (1). „

(1) «Nach dem zwölften Jahrhundert folgte auch in dieser Richtung ein entschiedener Fortschritt zum Besseren. Kaum hatte das Studium der Rechte zu Bologna zur selbstständigen Corporation als Universität sich organisirt, als daran der neue Gedanke sich entzündete, Alles, was auf den Ehrennamen *Wissenschaft* Anspruch zu erheben vermag, einander zu nähern, auf Grund der gemeinsamen Berührungspunkte hin zu einander in örtliche und geistige Verbindung zu setzen, und so die geschlossene Einheit der besonderen Schulen oder « Universitäten » der Rechte, der Theologie, der Arzneikunde, in einer höhern Einheit, einem erweiterten Gemeinwesen, einer Universität aus *allen* Facultäten, mit dessen sämtlichen Meistern und Jüngern, zu constituiren. In der Art bildete die gefreite Schule von der Universität aus der Verbindung aller Wissenschaften zur « gemainen » oder allgemeinen, alle Gebiete des Wissens umfassenden Hochschule, zum *Studium generale* sich aus. »

His traditis, Universitatum finis proximus quis, juxta auctorem nostrum, sit dicendus in promptu est. De studio et appetitione communi omnium hujusmodi corporis membrorum hæc scribit : « Scopus cui vivunt et spirant, in explorandis » cunctis disciplinis est, in dilatanda semper et perficienda mundi tum visibilis tum invisibilis tam variarum » uberrimarumque rerum omnium cognitione quæ animos, » cogitandi dote præditos, qui eas perscrutentur, invitant » et provocant. » Sed sciendi hic amor quantumvis nobilis, ipsaque hæc studia indefessa aliqua nobiliori cogitatione altioreque fine veluti informabantur. Unitas illa, quam non loci tantum, sed et indolis pronuntiavit auctor, in intima fundatur rerum natura. Similis illi germini vitæ, abscondito quidem secundum intimam sui naturam, quo vero deficiente omnia dissolvuntur et pereunt, ratio aliqua altior, et velut anima, sed viva, sed efficax, totum disciplinarum corpus pervadit, formam, quam dicunt scholastici, suam illi tribuens supremam, qua et propriam singulæ rationem exsequantur, et simul tum originis tum finis unitate in unum omnes perficiantur et consummentur sui ipsius supremum momentum. Audiamus auctorem :

« Variarum disciplinarum ordines prioribus temporibus » separati, in Universitate libera fraternam sibi dexteram » quum porrexissent, tunc quidem idea hæc luce sua omnes » perstrinxit, in ratione *unitatis* esse radicem altiore atque » divinam, ex qua scientiæ arbor fructuosissima ramos » innumeros atque surculos emittens, crescit et extenditur. » Jucunda quiete et gaudio mentes implebat idea hæc, » quod, utut variis varii culturam hominum fecudent aquis » rivuli, unus tamen exstet fons ex quo excurrant, unum

P. 15, 14. Contra hunc tamen vocibus *Studium generale* ut proprium assignatum sensum, vid. quæ notavimus sup. p. 25 ss.

quoque mare, in quod, divisi per aliquod tempus, expleto  
cursu rursus omnes simul influant. Hæc est admirabilis  
Studiorum generalium (1) creatrix idea, ipsamque illa  
revera veluti corporatam pandunt. Universitates, prout  
constituuntur, Christianorum imæ de Deo conscientiae  
Christianorumque ardentis pro fide studii fetus exstant.  
Christiana vero doctrina constanter urget discrimen inter  
naturam spiritus et materiae intercedens. Spiritum docet,  
sui veluti juris creatum, animare et informare, cogitare  
et velle, regnare et ferre leges. Materiam vero nec sui  
ipsius nec motuum suorum esse causam vel finem, sed, ut  
pendet ex libero illo spiritu et in illius quidem gratiam,  
ita, quemadmodum spiritum ipsum, ex Deo pendere in  
gratiam Dei. Hanc ipsam propriamque notam Universitates  
et ortæ et crescentes et sana sectantes præ se  
ferunt. Hoc principium... est palladium, quod... in  
fundamentis nostrorum Studiorum generalium defossum ac  
repositum, ad hanc usque diem ea ab interitu servavit (2).»

Quoad vero Ecclesiae et reipublicae erga Universitates  
rationem et mutuas vices, si de illis saltem temporibus et  
regnis sermo sit, ubi fides obtinet, hæc scribit Reithmayr :  
Revera, nimius quis non esset contendens, utramque  
illam magnam, quæ mundum moderatur, potestatem vix  
alibi in viarum suarum decursu tanta concordia mutuaque  
intelligentia sibi obviam venisse, quam in re nostra, ubi  
commune quoddam suis bonis emporium condiderunt et  
sublimarunt in mundo. Huic studia generalia veritati tes-  
timonio sunt, exstare nimirum aliquem apicem, in quo  
duo hæc grandia corpora quæ sibi opposita videntur,

(1) Quod est, in mente auctoris, Universitatum studiorum.

(2) Non omnibus profecto nostrorum temporum Universitatibus hæc applicari possunt.

» post media multiplicia adhibita eandem tandem sui agnos-  
» cunt esse rationem.»

De Ecclesiae quidem in Universitates animo jam prius auctor dixerat, mirum studium, quo haec unio variarum disciplinarum in uno eodemque loco a parte Ecclesiae promota fuit, expositione non indigere, provocaveratque ad ipsam Pii II Bullam, qua Ingolstadiensem, postea Monacum translata, Universitatem Pontifex confirmavit. — Alibi notaverat Ecclesiam *filiis suas* (Universitates) nunquam, quidquid evenerit, negasse, et observaverat eam tum propter propriam suam indolem, utpote instituti sui juris, tum propter sibi quoque praestitutum finem tradendorum intellectualium bonorum, omni modo ac libentissime favisse studiorum Universitatibus.

His autem potissimum necessitates, quae inter Universitates et rempublicam intercesserant, describit: « Status  
» vero, vel, uti loquendo de istis temporibus aptius quis dixe-  
» rit, potestas secularis, quamquam, vel potius *quia* doctri-  
» narum notitia ipsius regiones nondum vel saltem parum  
» penetraverat, probe judicabat quantum vel maxime liber-  
» tate sua scientiae vis creatrix indigeret, ut munera sua  
» in regiones illas uberius paullatim effundere posset. Neque  
» animi sufficiens moderatio potestati civili deerat, qua inter-  
» nam externamque libertatem necessariam praerberet, tanti-  
» que tandem bona animi aestimabantur, ut non parce sed  
» largiter iis illa impertiretur (1). »

(1) En praecipua loca quae supra passim attulimus: « Das wofür  
» dieser » (der Gemeingeist der die Universität belebt) « lebt und  
» strebt, ist die Ergründung der Wissenschaft, die Verallseitigung und  
» Vervollkommnung der Erkenntnis in allen den verschiedenen und  
» reichen Gebieten der sichtbaren und unsichtbaren Welt, welche den  
» denkenden Geist zu ihrer Erforschung einladen und auffordern »  
(p. 18). — « Als die vordem isolirten Wissenschaftsfakultäten in der

Cl. Newman, quem jam paucis in medium protulimus,

» gefreiten Universität sich die schwesterliche Rechte boten, da leuch-  
 » tete allen der Gedanke auf, wie das Eine ist die höhere göttliche Wur-  
 » zel, aus welcher der vielfrüchtige Baum des Wissens in seine verschie-  
 » dene Aestungen auf- und austreibt. Man fühlte sich heimlich und  
 » glücklich in der Idee, dasz, wie verschiedentlich auch die Bäche mit  
 » ihren Wässern sind, welche das Culturland der Menschheit befruchten,  
 » Eine doch ist ihre Quelle, aus der sie entspringen, und Eines das Meer,  
 » in welches sie aus ihrer Theilung am Ende des Laufes wieder zu sam-  
 » men einmünden... Diese bezaubernde Idee hat die Studia generalia  
 » geschaffen. Diese sind deren Fleisch gewordener Ausdruck » (p. 19). —  
 » Die Hochschulen, wie und mit Allem, was sie sind, stehen da als Er-  
 » zeugniz des christlichen Gottesbewusstseyns und einer christlichen  
 » Glaubensbegeisterung. Das christliche Lehrprincip aber dringt und be-  
 » steht auf der Unterscheidung zwischen dem Wesen des Geistes und  
 » dem der Materie. Von ersterem sagt das Christenthum uns, dasz er  
 » selbstständig geschaffen, belebe und forme, denke und wolle, herrsche  
 » und gesetzgebe; von der anderen dagegen, dasz sie nicht Ursache  
 » noch Ziel ihres Seyns, noch ihrer Bewegungen ist, sondern bedingt  
 » durch und für den Geist, den freien, wie dieser durch Gott bedingt  
 » und für Gott ist. Die ganze Entwicklung der Universitäten und ihrer  
 » gesunden Bestrebungen trägt hievon die Signatur. Dieses Princip...  
 » ist das Palladium, welches... in den Fundamenten unserer Studia  
 » generalia eingegraben hinterlegt ist, und welches sie bis zur Stunde  
 » vor Auflösung bewahrt hat » (p. 20, 21). — « Die Studia generalia  
 » bezeugen es: es gibt eine Spitze, wo die Gegensätze dieser zwei  
 » groszen Organismen » (Kirche und Staat) « nach vielfacher Vermitt-  
 » lung zuletzt ihre Identität erkennen » (p. 20). — « Die Kirche einer- und  
 » ihrerseits, selbst ein solches autonomisches Gemeinwesen höherer  
 » Art, war dem auf Bildung von Corporationen gerichteten Streben von  
 » jeher und ihrer Natur nach hold gewesen. Auch hatte sie, vermöge  
 » ihres Berufes, die geistigen und literarischen Ueberlieferungen den  
 » jezeitigen Generationen zu vermitteln, das höchste Interesse, Genos-  
 » senschaften, welche um das gleiche Ziel her mit Anstrengung ihre  
 » Thätigkeit concentrirten, mit aller nur möglichen Begünstigung zu  
 » bedenken. Der Staat aber, oder wie man es für damals besser nennen  
 » dürfte, das weltliche Regiment, obschon, oder vielmehr weil die Wis-  
 » senschaft in diesem Bereiche nicht oder noch wenig eingedrungen  
 » war, hatte die Einsicht, dasz, wenn deren Segnungen mit der Zeit  
 » reicher in dieses sich über- und ausgieszen sollten, vor allem Selbst-  
 » ständigkeit diesen schaffenden Kräften unentbehrlich sei. Auch fehlte  
 » ihm nicht die zureichende Selbstverläugnung, um die erforderliche  
 » Freiheit nach Innen und Auszen zu gewähren, und man besasz endlich

Universitatum excellentiam earumque in bonum et singulorum et commune finem lepide his verbis declarat :

« Eodem quo incepti modo finem facio ;— Universitas locus  
 » est concursus, quo ex regionibus omnibus omnis disciplina-  
 » rum generis addiscendi causa studiosi accedunt. Cunctorum  
 » ubique haberi optimum nequit ; ut hoc adipiscaris magnam  
 » aliquam adire debes civitatem vel emporium. Ibi simul  
 » habes selectissima quæque et naturæ et artium opera ,  
 » alibi quidem nonnisi singula singulis suis locis invenienda.  
 » Omnes regni et mundi divitiæ ibi congregatæ sunt, ibidem  
 » optimi mercatus et operarii optimi. Sedes est commercii ,  
 » supremum decori iudicium , æmulæ sollertiæ arbitrium ,  
 » et cuiusvis rei raræ ac pretiosæ mensura. Ibi locus est ,  
 » ubi videantur pinacothecæ præstantissimarum tabularum ,  
 » ubi audiantur mirarum soni vocum, artisque musicæ prin-  
 » cipes stupendi. Est locus eorum, qui eloquentiæ principa-  
 » tum obtinent vel sacræ vel profanæ, hominumque vel  
 » generis nobilitate, vel administrandæ reipublicæ peritia  
 » præcellentium. — Ex ipsa rerum natura magnitudo et  
 » unitas junguntur; quod excellit, id necessario cen-  
 » trum involvit. Tale ergo quid... est Universitas... Est  
 » locus cui scholarum millia tributa solvunt; in quo intellec-  
 » tus tuto disponit ac speculatur, certo quidem et parem  
 » aliquem labore suo ei adversantem, et iudicem in tri-  
 » bunali veritatis inventurus. Est locus, in quo investiga-  
 » tiones progrediuntur, inventiones verificantur et perfi-  
 » ciuntur, audacia redditur innocua, et error per mutuas  
 » ingeniorum cum ingeniis cognitionumque cum cogni-  
 » tionibus contentiones in periculo sui versatur. Est locus

» soviel Achtung vor den Gütern des Geistes, um dieselbe ihnen nicht  
 » kärglich zu messen, sondern in reichlichem Maasse zu schenken.»  
 ( p. 41 , 42 ).



» ubi doctrinæ magister fit disertus, et scientiæ propagator  
» ac præco, quam absolutissime et amœnissime ipsam ex-  
» ponens, ferventi studio tradens, suoque illius amore  
» pectora inflammans auditorum suorum. Est locus, ubi  
» religiosæ doctrinæ magister procedendo sibi solum firmat,  
» dum promptæ memoriæ de die in diem veritatem incul-  
» cat, atque in dilatante se intellectu eam firmiter includit.  
» Est locus cujus fama juvenum allicit amorem, cujus  
» pulchritudo sibi devincit virorum judicium, cujusque mul-  
» tiplex consociationis species perennem habet senum me-  
» moriam. Sedes est scientiæ, mundi lumen, fidei minister,  
» surgentis Alma Mater ævi. Hæc omnia est, et multo  
» plura, exigitque, quæ bene describatur, ingenium longe  
» melius melioremque mea manum (1). »

(1) « I end as I began; — a University is a place of concourse, whither  
» students come from every quarter for every kind of knowledge. You  
» cannot have the best of every kind everywhere; you must go to some  
» great city or emporium for it. There you have all the choicest produc-  
» tions of nature and art all together, which you find each in its own  
» separate place elsewhere. All the riches of the land, and of the world,  
» are carried up thither; there are the best markets, and there the best  
» workmen. It is the centre of the trade, the supreme court of fashion,  
» the umpire of rival skill, and the standard of things rare and precious.  
» It is the place for seeing galleries of first-rate pictures, and for hearing  
» wonderful voices and miraculous performers. It is the place for great  
» preachers, great orators, great nobles, great statesmen. In the nature  
» of things, greatness and unity go together; excellence implies a centre.  
» Such, then... is a University... It is the place to which a thousand  
» schools make contributions; in which the intellect may safely range  
» and speculate, sure to find its equal in some antagonist activity, and  
» its judge in the tribunal of truth. It is a place where inquiry is pushed  
» forward, and discoveries verified and perfected, and rashness ren-  
» dered innocuous, and error exposed, by the collision of mind with  
» mind, and knowledge with knowledge. It is the place where the  
» professor becomes eloquent, and a missionary and preacher of science,  
» displaying it in its most complete and most winning form, pouring  
» it forth with the zeal of enthusiasm, and lighting up his own love of  
» it in the breasts of his hearers. It is the place where the catechist

His circa Universitatum naturam definitionibus aut descriptionibus variæ addi possent. Immo silentio prementes egregias capite præcedente laudatas clarissimorum Hasel (1) et Häusle (2) dissertationes, iniqui nobismetipsi videmur. Ne tamen nimii simus, neve vi et armis, propter necessitatem quamdam cum hujus capitis argumento, quæ locum proprium sibi vendicant huc rapere videamur, jam, uno excepto, a pluribus nunc laudandis abstinemus. Hic vero, cl. videlicet Busz, definitione sua et descriptione simul, totam fere doctorum virorum Hasel et Häusle nobis aperiet sententiam.

Definitio quam tradit eximius ille scriptor sic se habet (3) :  
« Universitas, » inquit, « est corpus magistrorum et discipulorum cujus munus est, sub custodia ac moderatione »  
« Sedis Apostolicæ ad propagandam et confirmandam fidem »  
« christianam in qualibet permissa facultate disciplinas »  
« docere, jus illas docendi conferre, et in rebus disciplinarum supremi judicis partes agere (4). »

» makes good his ground as he goes, treading in the truth day by day  
» into the ready memory, and wedging and tightening it into the expanding reason. It is a place which attracts the affections of the young  
» by its fame, wins the judgment of the middle-aged by its beauty, and  
» rivets the memory of the old by its associations. It is a seat of wisdom, a light of the world, a minister of the faith, an Alma Mater of  
» the rising generation. It is this and a great deal more, and demands a  
» somewhat better head and hand than mine to describe it well. » (*The Office and Work of Universities*, chapt. II, p. 25-25.)

(1) V. p. 25, n. 7.

(2) V. p. 17, n. 2.

(3) Opere cit., *Die Reform...* p. 165.

(4) « Eine *Universität* ist die Corporation von Lehrern und Schülern,  
» welche unter Aufsicht und Leitung des Apostolischen Stuhls zur Verbreitung und Befestigung des Christlichen Glaubens in jeder erlaubten  
» Facultät die Wissenschaften zu lehren, in denselben die Lehrermächtigung zu ertheilen, und als höchste wissenschaftliche autoritative  
» Instanz zu wirken berufen ist. »

Hac data definitione, finem Universitatum quadruplicem cl. Busz hunc indicat : Primum, ut forent scholæ ad propagandam fidem catholicam, illiusque hostes oppugnandos; secundum, ut forent scholæ (studia) *generales*, et indigenis et peregrinis dicatæ, immo, scholæ totius christianitatis; tertium, pro pluribus saltem earum, ut pias causas constituerent " ob salutem animarum nostræ prioritatis " inclytæ ac nostrarum, " ut, ex. gr., dicunt Rudolphus IV, Albertus et Leopoldus in litteris datis pro fundanda Universitate Vindobonensi; — pro remissione peccatorum, pro Dei sibi favore conciliando, cet., ita quidem, ut Universitates velut perpetuum aliquod Dei obsequium considerarentur. Juxta quartum autem ipsarum finem, Universitates sunt regni et ipsius, in quo exstant, loci instituta, illorum splendori, bono et commodis destinata.

Tali quadruplici nota quam profundas radices in ima ævi fundamenta Universitates immiserint optimo jure scriptor prædicat; annumerabantur inter potissimos culturæ fautores, maximique momenti fiebant in gravioribus tempora distinctibus quæstionibus, ita quidem ut illis solvendis præstantissima earum auctoritas haberetur. Locus illis erat nobilis in Conciliis vel Œcumenicis vel provincialibus; locus et erat inter primos in regnorum comitiis. Neque mirum; nam, una cum Ecclesia, ipsius filiæ, Universitates, veluti matres erant et columnen communis illius terræ Europeæ cultus, qui hujus populos in unam, magnam, communium contemplationum et morum familiam evehebat.

Huic definitioni aliam ejusdem auctoris subjungimus, quam in alio opere (1) tradit, Universitatem potius secun-

(1) *Der Unterschied der katholischen und der protestantischen Universitäten Deutschlands.* Von Hofrath Dr Busz. — Freiburg, Herder, 1846.

dum rationes internas populorum apud quos enascantur, quam juxta ipsarum constitutionem considerans.

« Universitas qua talis, » ait, « institutum est, quo certi » populi certo quodam tempore genius ad scientiæ ratio- » nem evectus, in tradenda disciplinarum universarum » inter se ordinarum doctrina se pandit. Quando itaque » gens aliqua ad intellectualem sui intelligentiam nititur, » talis instituti universi fundandi studium exsurget (1). »

Initia quidem horum jam apud populos antiquos quædam indicat, sed initia solum. Propriam Gentilitatis, quæ dicitur, indolem Universitatibus erigendis imparem pronuntiat, quod ostendere conatur rationibus, simul internam Universitatum, juxta illum, naturam et finem amplius declarantibus.

Ut Universitas apud aliquem populum exurgere possit, tria potissimum auctor noster requirit, quæ a Gentilitate veluti necessario absunt. Imprimis quidem juxta ipsum requiritur *universalitas* quædam, si dicere fas est, *ingenii*, ingeniique *culturæ*; tempora vero antiqua culturam non noverant humano generi communem, sed singulis tantum nationibus propriam. Secundo requiri dicit *singuli hominis dignitatem auctoritatemque propriam* ac veluti privam; in veteribus autem rebuspublicis vir singulus a republica omnino absorbebatur. Denique *vim* illam exigit mediam inter rempublicam et singulos, quæ *hominum est mutuo et libere se sociantium*. « Universitatum autem munus hoc ipsum est, » culturæ opes progressusque de generationibus in generationes tradere, in ipsisque offerendis ingeniorum societatem

(1) « Die Universität als solche ist die Anstalt, in welcher sich das zur » Wissenschaft verklärende Selbstbewusstsein des Geistes in einem » bestimmten Volk zu einer bestimmten Zeit in der Lehre der organi- » schen Gesamtheit der Wissenschaft darlegt. Wo daher irgend ein » Volk zu seinem geistigen Selbstbegriff aufstrebt, wird sich der Drang » einstellen, eine solche Gesamtanstalt zu gründen. » L. c., p. 378.

» præsentem ad proprios novosque culturæ fructus eden-  
» dos excitare. *Christianismo* reservatum erat hæc instituta  
» sociandorum ingeniorum producere, quibus hinc æterna  
» veritas positive traderetur, illinc error doctrina confi-  
» ceretur; instituta autem tum tradendis cum temporum  
» decursu rebus intellectualibus, tum præsentibus fecundan-  
» dis ingeniis, quæ ipsa producerent fructus scientiæ, tum  
» modo quidem remotiore, virtute tamen efficaci, populorum  
» animis ad se ipsos advocandis apta et destinata (1). »

Hinc cl. Busz ad considerandas internas Universitatum,  
ipsarumque cum Ecclesia et republica rationes transit.

« Si igitur, historia teste, Universitates sub Ecclesiæ cura  
» tutelaque, et sæpe per illam erectæ fuerunt, si exortæ  
» sunt in republica quidem, sed non per ipsam, receptæque

(1) « ... Der Geist war im Heidenthum nicht in der Verfassung, welche  
» zur Gründung der Universitäten nothwendig ist.

» Dazu gehört zuerst eine *Universität des Geistes und seiner Cultur*,  
» welche dem gesammten Alterthum fehlte, weil dort die Gesittung  
» keine menschheitliche, sondern bloß eine *nationale* war. Es konnte  
» also bei einer öffentlichen Autorität schon gar nicht das Streben ent-  
» stehen, einer solchen geistigen Universalität eine Vertretung zu geben.  
» Allein auch das Individuum fühlte damals nie dieses Streben, weil es  
» im antiken Staate nichts galt, sondern von dem Typus der Gesammt-  
» heit überwältigt war. Es fehlte aber auch jene Mittelmacht zwischen  
» Staat und Individuum, welche freie Schöpfungen zu gründen vermag,  
» die zugleich an der Individualität des Staats und an dem menschlichen  
» Wesen Theil nehmen, — die Macht der *Association*.... Nun ist es aber  
» gerade die Aufgabe der Universität, die Errungenschaft der Cultur zu  
» überliefern und in ihrer Darbietung den Bund der Geister der Gegen-  
» wart zu eigener, geistiger Zeugung zu erregen.

» Dem Christenthum war es vorbehalten, solche Anstalten zur Samm-  
» lung der Geister, einerseits für die positive Erkenntnis der ewigen  
» Wahrheit, andererseits für die ausscheidende Kritik des Irrthums,  
» Anstalten, einerseits für die Ueberlieferung der Intelligenz im Fort-  
» gang der Zeiten, und andererseits zur Befruchtung der Geister der  
» Gegenwart für eigene Schöpfungen der Wissenschaft und mittelbar  
» zur Gewinnung des Selbstbewusstseins der Völker ins Leben zu  
» rufen. » — Busz, *Der Unterschied*, p. 378 seqq.

„ postea solum fuerunt in ipsius corpus, jam inquirendum  
„ est, quænam prisca Universitatis fuerit indoles et quo-  
„ modo Ecclesia et respublica ad ipsam se habeant, Uni-  
„ versitasve rursus ad utramque.

„ Universitas ut *summum scientiæ tribunal* se exhibere  
„ debet et jus suum exsequi.

„ Quatenus ergo Ecclesia et respublica universam et  
„ specialem cognitionem et culturam prosequendas habent,  
„ non solum illarum est, necessitates intellectus, juris et  
„ opum Universitatibus proprias illis suppeditare, quibus  
„ munere suo istæ fungi possint, sed utraque etiam in magni  
„ ponderis publicisque negotiis, quorum momentum pro  
„ parte ex scientiæ judicio pendet, Universitates secundum  
„ munia propria in consilium adhibere et consulere debet.  
„ Et revera Ecclesia Universitatum doctores ad concilia,  
„ respublica vero illos ad gravioras publicas actiones trac-  
„ tandas, juxta tamen doctrinæ momentum, quod vim  
„ statuendi in illis decretoriam haberet, olim vocabat.

„ Sed vicissim Universitas Ecclesiam et rempublicam ut  
„ potestates per se consistentes agnoscere debet. Quod  
„ hæc revera sunt et in se habent, illa simpliciter admittere,  
„ secundum rationis et intellectus momenta spectare, illus-  
„ trare per scientiam debet. Quæ si sana non sint, utique,  
„ non ut ea ipsa tollat, sed ex sola doctrina judicet,  
„ censuræ vi ipsa attingere potest; nunquam tamen animo  
„ infenso. Scientia duce tantummodo omnium judicium  
„ publicum præparabit ac veluti condet, contra quod quæ  
„ inibi morbosa sunt per longius tempus constare nequeunt.  
„ Quum ergo doctrinam certam in Ecclesia et republica  
„ creandi et servandi penes has potestates sit auctoritas,  
„ tali earum juri se immiscere Universitas nequit. Nonnisi  
„ intermedia quadam ratione, qua hominum de his mentem

„ transfiguret, finem talem consequendum juvat. Rationes  
„ exinde Universitatis cum Ecclesia et republica his illam  
„ neque alienam neque subjectam constituunt. Vicissitu-  
„ dinis sunt mutuæ, qua secundum res de quibus agitur,  
„ vel infra vel quodammodo supra illas ordinatur.

„ Non est nisi exter quidam et ab intima ac viva rerum  
„ natura alienus contemplandi modus, quo, sicut nunc  
„ sæpius accidit, Universitas et Ecclesia proponuntur ut  
„ instituta nullatenus se contingant. Ipsa primarum Uni-  
„ versitatum per Ecclesiam fundatio hujusmodi notionem  
„ removet.... Ex ruinis Romani imperii atque culturæ a  
„ Germanis confractorum, disciplinæ et artes, columnæ  
„ ipsæ traditionis seu historicæ veluti conscientiæ humani  
„ generis, ad Ecclesiæ asylum confugerunt, et e sacro hoc  
„ securoque loco vinculum evolverunt antiqua cum novis  
„ tempora colligans. Ex cœnobiorum ecclesiarumque cathe-  
„ dralium scholis modo ampliori secundum ampliores tem-  
„ poris rationes Universitates exortæ sunt. Quum vero  
„ Universitates summa scientiæ tribunalia sint, quumque  
„ medium ævum quæcumque sunt et noscuntur in divinis  
„ rationibus radicata confiteretur, hæc autem rationes in  
„ Ecclesia conquiescant, idcirco Universitatum, earum  
„ etiam quas propriis opibus aliquando principes vel civi-  
„ tates fundarent, erectio ut jus Ecclesiæ considerabatur,  
„ præterquam quod solis ita a se constitutis Ecclesia jura  
„ præbebat ecclesiastica.

„ Quando autem postea respublica in ipsas Ecclesiæ in  
„ hominum societatem agendi rationes se ingessit, post-  
„ quam, Ecclesia juvante, plenam sui conscientiam sibi  
„ peperisset, respublica ipsa Universitates simul secum  
„ adultas vel ætate superiores considerans, suas in eis  
„ partes cognoscere debebat, nempe juriarum ipsarum agni-

„ tionem et curam prosperi propriique ipsarum status. Sed  
 „ propriam originis constitutionisque hinc exortæ Univer-  
 „ sitatum indolem, qua *corpus* singulæ erant *sui juris* ac  
 „ vera *juris universitas*, eam quidem illis exinde subtrahere  
 „ respublica non poterat; ipsam immo debebat agnoscere.  
 „ Tales sunt rationes, juxta quas Universitas tum reipu-  
 „ blicæ submittitur, tum ab ipsa libera est.

„ Quo igitur magis respublica sui compos fuit, eo magis  
 „ etiam in universo propriarum suarum rationum complexu  
 „ Universitatis perspexit momentum, laudabiliterque ipsi  
 „ providit.

„ Jam ante enatas Universitates ipsarum idea in genere  
 „ humano veluti vivebat. Qui excultum habebant intellec-  
 „ tum, ii Universitatem quamdam constituebant *ἐν διασπορᾷ*.  
 „ Naturalis quædam ingeniorum similium mutua incli-  
 „ natio et se mutuo attrahendi vis, in unum locum ea  
 „ colligebat; primum quidem unius peculiaris disciplinæ  
 „ cultores, mox vero his aliarum quarundam, omnium  
 „ demum patronos socians. Sic per studiorum spontaneam  
 „ cognationem istæ sedes ac foci scientiæ, duplici quidem  
 „ modo se ad eam habebant. Ex una enim parte tempora  
 „ præterita, rationes historicas respiciebant, ex altera vero  
 „ ex ipsis istis historicis rationibus et ex ideis æternis  
 „ propriam sibi temporis præsentis scientiam instituebant,  
 „ alienam quidem culturam suscipientes, proprio vero motu  
 „ proprioque suo ingenio eam conformantes. Similiter ut  
 „ institutum Universitas in proprium suum ingenium pro-  
 „ fundius semper penetrat, sicut aliunde etiam temporibus  
 „ præteritis innititur, quorum præcipua in ipsam momenta,  
 „ primum Ecclesia, posterius respublica exhibent. Quo fit,  
 „ ut antiquissima quidem ei insit sui notio *ecclesiastica*;  
 „ *politica* vero etiam inde a temporibus quibus cum repu-  
 „ blica multo usu abundavit.



» Politicum hunc seu rationum publicarum civilium sen-  
» sum Universitas ut scientiam ita sibi conformare debet, ut  
» rempublicam secundum ipsius indolem, proprium progres-  
» sum ipsiusque munus et scopum repræsentet. Reipublicæ  
» omnis indoles et vita in scientia veluti in quodam speculo  
» cernitur, hujus vero directo vel indirecto modo nationi  
» communicandæ negotium Universitatis est. Sic Universi-  
» tas secundum animi rationes intelligentiam communem  
» a Deo gubernatam et moderatam, cultura semper pro-  
» fluente, de præsentis in posterum tempus continuo  
» tradit.

» Ad Ecclesiam autem Universitatis conditio tali modo  
» se exerit, ut omni quod est et vivit divina subjacere  
» principia ipsa ostendat. Etiam si itaque respublica univer-  
» sam communemque populi sui indolem et vitam secundum  
» morum et territorii ambitum (*ἡθός et ὁροθεσία τῆς κατοικίας*)  
» comprehendat, Universitatis tamen est, pone hanc veluti  
» naturalem civitatem, ope christiani eam ex arctis hisce  
» limitibus educantis principii, indigitare Ecclesiam, regnum  
» scilicet illud universale veri bonique, et studium ipsius pro  
» continua ab errore maloque Redemptione atque intellec-  
» tum morumque sanctitate promovenda diffundere.

» In medio illo, quem dicunt, materialismo altius quoti-  
» die cuncta devastante et in communi semper magis inva-  
» lescente omnis positivæ doctrinæ et instituti incendio,  
» Universitatum est hæc veluti exemplaria ac fundamenta  
» cunctorum quæ revera sunt ac vivunt maxima auctori-  
» tate et vi extollere, agnoscere et quæ agnoscantur  
» curare. Ita demum fiet nec aliter, ut rursus sint præclara  
» illa lumina, quæ olim generi humano secundum illas con-  
» valescenti et ad altiora se attollenti fuerunt, magnæ illæ  
» phari historiæ, augustæ perennesque in mediis fluctibus

» culturæ, supra quos ut viæ sidera generationibus viatri-  
» cibus jucundæ ac lætæ illucent (1). »

(1) « Wenn nun die Universitäten der Geschichte nach unter dem  
» Schutz und der Pflege der Kirche und oft durch sie errichtet worden,  
» und wenn sie im Staat, aber nicht durch den Staat entstanden, son-  
» dern nur später in seine Zuständigkeit übernommen worden sind, so  
» fragt es sich, welches ist das ursprüngliche Wesen der Universität,  
» wie verhält sich die Kirche und der Staat zu ihr, und umgekehrt die  
» Universität zu beiden?

» Die Universität hat als die *höchste Instanz der Wissenschaft* zu  
» wirken und sich geltend zu machen.

» Insofern also die Kirche und der Staat die Beförderung allgemeiner  
» und besonderer Erkenntnisz und Bildung unter ihre Zwecke zählen,  
» so haben sie nicht nur die geistigen, rechtlichen und materiellen  
» Bedingungen der Universität zu beschaffen, damit sie ihr Wesen  
» bethätigen könne, sondern beide haben auch bei wichtigen, theil-  
» weise von der Wissenschaft zu bestimmenden, öffentlichen Verhand-  
» lungen in ihrem Bereiche die Universitäten beizuziehen und zu bera-  
» then, wie denn die Kirche die Doctoren der Universitäten zu den  
» Concilien, und der Staat zu wichtigen Staatsverhandlungen früher  
» beigezogen hat, aber nur in sofern als das Moment der Wissenschaft  
» zu entscheiden hatte.

» Dagegen hat aber auch die Universität die Kirche und den Staat als  
» selbstständige Ordnungen anzuerkennen. Das Positive in Kirche und  
» Staat hat die Universität lediglich anzuerkennen, geistig zu prüfen,  
» wissenschaftlich zu verklären. Allerdings hat sie gegen ungesundes  
» Positives die Macht der Kritik, aber nicht zur Aufhebung, sondern  
» lediglich im wissenschaftlichen Urtheil zu üben. Nie darf es im feind-  
» seligen Geist geschehen. Sie wird lediglich an der Hand der Wissen-  
» schaft ein Urtheil der Oeffentlichkeit vorbereiten und gründen, wel-  
» chem auf die Länge das krankhafte Positive nicht widersteht. Da also  
» die Macht der Schaffung und Bewahrung der positiven Lehre in Kirche  
» und Staat der Kirchen- und Staatsgewalt zusteht, so darf die Universi-  
» tät in diesen Bereich nicht eingreifen. Sie wirkt nur mittelbar durch  
» Umbildung der allgemeinen Ueberzeugung mit. Somit ist das Verhält-  
» nis der Universität zur Kirche und zum Staat nicht das der *Entfrem-  
» detheit*, nicht das der Unterworfenheit, sondern der *Gegenseitigkeit*,  
» je nach den Verhältnissen der Ueber- oder Unterordnung.

» Es ist bloß eine äusserliche und unlebendige Anschauung, wenn  
» man, wie jetzt oft geschieht, Universität und Kirche als sich nichts  
» angehend darstellt. Schon die Stiftung der ersten Universitäten durch  
» die Kirche entfernt diesen Gedanken. In dem sinkenden römischen  
» Reich flüchteten sich aus den Trümmern der von den Germanen zer-

Finem quadruplicem quem cl. Busz catholicis, secundum

» brochenen alten römischen Welt Wissenschaft und Kunst in das Asyl  
 » der Kirche, und wickelten aus diesem sicheren Heiligthum das Band  
 » heraus, welches Alterthum und neuere Zeit aneinander knüpfte, als  
 » Träger der Ueberlieferung, des historischen Bewusstseins der Mensch-  
 » heit. Aus den Kloster- und Stiftsschulen entstanden in grösseren Pro-  
 » portionen nach den grösseren Verhältnissen der Zeit die Universitäten.  
 » Aber da die Universitäten die höchsten Instanzen der Wissenschaft  
 » sind, und das Mittelalter alles Sein und Wissen in göttlichen Gründen  
 » wurzelnd erkannte, diese göttlichen Gründe aber in der Kirche ruhen,  
 » so wurde die Stiftung der Universitäten, die selbst aus eigenen Mit-  
 » teln von Fürsten oder Städten gegründet wurden, als Recht der Kirche  
 » angesehen, abgesehen davon, dass diese auch den nur so von ihr  
 » constituirten Universitäten kirchliche Rechte verlieh.

» Als später der Staat sich in die sociale Wirksamkeit der Kirche  
 » drängte, nachdem er mit Hülfe der Kirche das volle Bewusstsein  
 » seiner selbst errungen hatte, so musste der Staat an den mit ihm  
 » erwachsenen und oft an Alter ihn übertreffenden Universitäten erken-  
 » nen, was seiner Zuständigkeit war, nämlich Anerkennung und Schutz  
 » ihrer Rechte und Pflege der Wohlfahrt in ihrem Kreise: aber den  
 » Charakter ihrer Entstehung und der damit erwachsenen Verfassung  
 » als einer *selbständigen Körperschaft*, einer *Universitas*, konnte er ihr  
 » nicht entziehen, musste ihn anerkennen. Das ist das Verhältnisz der  
 » Unterordnung der Universität unter den Staat, und das ihrer Selbst-  
 » ständigkeit gegenüber dem Staat.

» Je mehr also der Staat sich selbst begriff, begriff er auch in seinem  
 » Organismus die Universität in ihrer Bedeutung, und sorgte rühmlich  
 » für sie.

» Schon vor der Gründung der Universitäten lebte ihre Idee in  
 » der Menschheit: die gebildeten Denker bildeten eine Universität  
 » ἐν διασπορᾷ. Geistige Anziehung sammelte sie an einem Ort, zuerst  
 » die Pfleger einer Theilwissenschaft, zu welchen sich die anderer Wis-  
 » senschaften, und zuletzt die aller gesellten. Und so standen in Folge  
 » wissenschaftlicher Wahlverwandschaft diese Heerde der Wissenschaft,  
 » ihre Träger in doppelter Stellung, auf der einen Seite der Vergangen-  
 » heit, dem *Historischen* zugewandt, auf der andern Seite von der  
 » Gegenwart aus dem Geschichtlichen und den ewigen Ideen ihre eigene  
 » Wissenschaft bildend, receptif fremde Bildung aufnehmend, spontan  
 » im eigenen Geist sie gestaltend. Eben so vertieft sich die Universität  
 » als Anstalt einmal in ihrem eigenen Geist, sodann wie sie sich an die  
 » Vergangenheit zurücklehnt, die für sie zuerst in der *Kirche*, dann im  
 » *Staate* liegt; daher ihr als ältestes ein *kirchliches* Bewusstsein, und  
 » von der Zeit an, wo sie mit dem Staat in einen regen Verkehr getre-  
 » ten, ein *staatliches* Bewusstsein inwohnt.

ipsum, gravissimis rationibus fultum, solis veris Universitatibus proprium indicat, jam vidimus (1).

Verus qui juxta illum, auctoresque ipsi consentientes, præcipue Hasel, Häusle, Reithmayr, Universitatum est juris dignitatisque locus, his fere, tam ex earum indole et fine quam ex Catholicarum Universitatum historia, describitur.

Universitates instituta sunt totius Christianitatis, corpora imprimis ecclesiastica fidei, moribusque Christianis tuendis ac promovendis præcipue destinata. Romanorum Pontificum est ipsas erigere ac moderari; ex ipsorum auctoritate summa sciendi præstantia, docendi jure tandem sancienda, academicis omnibus et præcipue doctoratus gradu in variis

» Dieses staatliche Bewusstsein hat sich die Universität dadurch zur  
 » Wissenschaft zu gestalten, dasz sie den Staat in seinem Wesen, seiner  
 » Entwicklung und seinem Berufe darstellt. Wie der Staat lebt und  
 » lebt, spiegelt er sich in der Wissenschaft, welche die Universität dem  
 » Volke unmittelbar oder mittelbar mitzuthemen hat, und so geistig  
 » die von Gott geleitete Intelligenz im steten Fluss der Cultur von der  
 » Gegenwart der Zukunft ununterbrochen vermittelnd überliefert.

» Die Stellung der Universität zu der Kirche bethätigt sich aber darin,  
 » dasz jene allem Sein und Leben göttliche Principien zu Grund liegend  
 » nachweist, so dasz, wenn der Staat auch das ganze gemeinsame Sein  
 » und Leben des von ihm umschlossenen Volkes in sittlichem und länd-  
 » lichem Kreise (*ἡθὸς* und *ὀροθεσία τῆς κατοικίας*) befasst, sie  
 » hinter ihm als einem Naturstaat an der Hand des ihn aus dieser  
 » Beengtheit erlösenden christlichen Principis die Kirche, dieses univer-  
 » selle, geistig sittliche Reich als Hinterlage nachweist, und zur fort-  
 » schreitenden Erlösung und Heiligung übergibt.

» Nur wenn die Universitäten diese idealen Grundlagen alles Seins  
 » und Lebens mit grösstem Nachdruck inmitten des täglich tiefer ver-  
 » heerenden Materialismus und des immer weiter greifenden Umstur-  
 » zes des Positiven hervorheben, anerkennen und zur Anerkennung  
 » bringen, werden sie wieder jene Leuchten, welche sie einst der an  
 » ihnen sich erhebenden Menschheit gewesen, die groszen Fanale der  
 » Geschichte, hehr und unvergänglich in den Strömungen der Cultur  
 » auf welche sie den wandernden Geschlechtern wie leitende Gestirne  
 » tröstend und froh niederleuchten. » — Busz, *Der Unterschied*,  
 p. 580-585.

(1) Cf. p. 53.

facultatibus declarari debet. Ex earum indole, universam Christianitatem respiciente, exemptæ sunt a jurisdictione Ordinarii, ut Ordinarii, et ut corpora ecclesiastica, a jurisdictione civili. Jura porro, favores, sed et obsequia permulta mere ecclesiastica ipsis præ reliquis institutis aptissime tributa fuerunt, et ex parte ad ipsarum naturam pertinent. Ut corpora ecclesiastica ad concilia œcumenica et provincialia atque ad synodos diœcesanas vocantur. In republica locum amplissimum imperia catholica illis agnoverunt, ita quidem ut in publicis nationum comitiis inter cleri Ordines primæ fere sederent. — Ex ejusmodi cum Ecclesia et republica nexu, inferiora et summum ipsum judicia quæ auctoritate Apostolica per gradus Academicos de hominum scientia et aptitudine tulerunt, ubique terrarum obtinere debent. Ecclesia summa sese tuendi, continuo servandi, moderandi, administrandi libertate et auctoritate illas apposite instruxit, et republicæ Christianæ, quamdiu Christianæ indoli se commiserunt, idem per amplissima civilia jura procurandum susceperunt. Inde, secundum operam et votum Ecclesiæ, liberrima sui martis et juris corpora existunt. Sic utrobique agnita, et in Ecclesia et in republica, altissimorum de rebus scientiæ tribunalium in illarum negotiis auctoritate gaudent, et vocantur pro sententia danda in gravissimis intricatissimisque utriusque quæstionibus vel periculis.

Ut Christianitatis tandem instituta ingeniorum altiorum universalem culturam in seculis fidei per orbem Catholicum foverunt promoveruntque.

Licet expendendas auctorum memoratas opiniones et sententias in tempus illud servemus, quo, de discriminibus inter varia Universitatum genera intercedentibus quorundam prius exposita mente, toti negotio Apostolicarum præsertim nonnullarum constitutionum lucem affuderimus, illico

tamen generales aliquas de diversa auctorum in re nostra sentiendi ratione observationes hic apponere juvat.

Aliqui nullum agnoscunt externum, quod Dei dona hominibus præbeat, institutum. Inde hominem sui veluti absoluti juris prædicant ac nemini nisi Deo obnoxium: ipsi soli cultus sui, ingenii nimirum, mentis, totius animi cura est. Ipse per laborem proprium, vel rationis ope solius vel ex aliquo divino, ut est Scriptura, fonte, arbiter statuitur veri universi, divini et humani. Scientia inde, meditationis et optionis omnino liberæ comparatio, sui ipsissimi juris quoddam prædicatur mentis sacerdotium. Tota similiter vita, mores, lucta et robore proprio conformanda dicuntur. Ejusmodi sapientibus Universitas, hominum cultus celsissimum institutum, pro summo momento id habebit, ut hinc quidem intellectui latissime campum aperiat diversissimarum doctrinarum, illinc vero, remoto quovis morum tuendorum instituto, vitæ palæstram præbeat singulorum certamini, *scholam*, quam dicunt, *vitæ*, cujus singulus homo et magister vel arbiter et discipulus sit.

Qui vero hominem lapsum, intellectu et voluntate infirmatum, in utroque per Verbi incarnati virtutem, ope Ecclesiæ, roborandum considerat, cui Ecclesia custos est et diversorium quo pius ille Samaritanus vulneratum genus hominum curat curandumque committit; is enimvero summam Ecclesiæ in Universitates auctoritatem profitebitur, ut ea tuente Revelationis salus integra hominibus inibi vigeat. Deo autem sic tribuens quæ sunt Dei, auctoritatis illius, qua quisque hominum sui compos, Dei servata lege, in se gaudet, partes omnino agnoscet, et disciplinas, per jura Ecclesiæ agnita contra invalescentes errores in tuto positas, quam liberrime et uberrime sese pandentes fovebit, certus per singulas veritatis indagandæ partes divini ipsius veri in

mentibus et regnis imperium firmari illiusque robori et splendori abunde provideri. Moribus autem consueta servandis quidem perficiendisque per instituta propria, roborandis vero per sanam libertatem, probe juvenes dignoscens tum a maturis sibi ac societati commissis viris, tum a pueris in manibus aliorum pro instituenda vita omni modo constitutis.

Ex hujusmodi vero hominis et Ecclesiae contemplatione, magna quoque statui debet Universitatum a republica libertas, quum secus et Ecclesiae et hominis summa illa quam diximus tam libertas quam dignitas in maximo periculo versaretur. Altiora nimirum jura et bona tuenda altius jus praestant. Inde quoque qui sentit ut diximus ab illa doctrina quam maxime abhorrebit, qua respublica, ut omnium civium eorumque jurium et commodorum corpus quoddam supremum seu suprema quaedam universitas, unam eandemque juris notionem habere censetur cum praepositis ei magistratibus, atque ita quidem ut jura illa et commoda omnia, nullo prorsus excepto, reipublicae eo modo intellectae prorsus sint subjecta. Dei in Ecclesiam et animam jura contra talem doctrinam mentem ipsius instruent. Respublica, ut gubernatio, magna illi res erit, immo divina auctoritate excellens, non vero suprema, nec igitur omnium domina. In Universitates, quibus hominum animus summum sui cultum accipit, absolutum illi jus omnino denegabitur.

Haec tamen quae indicavimus si definitionibus et descriptionibus supra traditis applicentur, notandum est aliquos auctores, quibus et cl<sup>m</sup> Newman ascribendum putem, forte rem potius qualem nostra tempora illam ubique fere exhibent, quam secundum intimam ipsius notionem proposuisse.

## CAPUT IV.

## DESCRIBITUR ANTIQUÆ UNIVERSITATIS EXEMPLUM.

Magno itaque et revera maximo discrimine varia Universitatum genera variusque quo contemplantur modus inter se distant, eoque quidem cujus rationes sæpe ab ipsa diversissima hominum persuasione pendent. Priusquam tamen, rem altius pertentaturi, circa hæc ipsa discrimina diversorum scriptorum diversas sententias audiamus, ne, nil certi præ oculis habentes, ipsi curramus quasi in incertum, aliquam veteris juris ecclesiastici simul ac civilis Universitatis imaginem delineare visum est.

Quodcumque enim quis fert de diversis Universitatibus iudicium, in cujuscunque favorem ipsius inclinatur animus, in hoc saltem omnes haud convenire non possunt, quod, si considerentur ut instituta jam adulta sui que conscia, Universitates secundum juris ecclesiastici sanctiones constitutæ tempore ceteris sint priores. Ab his igitur aliæ illæ defecerunt, vel, si dixisse malueris, a priorum statu, aliis ex illo retentis, aliis abdicatis, aliorum facta immutatione, posteriorum conditio profecta est.

Unde, quum Universitatum pertractandarum, ipsarumque propriæ naturæ inquirendæ suscipitur negotium, necessitatis fere est, si rectam claramque earum, et singulorum quæ in examinis partes veniunt sibi quis effingere vult notionem, ut priores illas Universitates rite perspiciat. Nullus vero harum cognoscendarum expeditior videtur modus, quam unam ex ipsis describendam seligere, temporibus illis exortam, quibus plena illarum omnibusque numeris absoluta,



secundum priorem ipsarum notionem, constituta erat ratio, eaque nondum immutata.

Medium ævum sensim sine sensu per multas turbas, multosque eventus vel privatos vel publicos, qui priscam nationum barbariem statumque ipsarum incultum exhibebant, semper magis Ecclesiæ, cujus amorem ac studium in se veluti hauserat, lenitatem suam fecit, totique tum omnium tum singulorum culturæ eandem hanc indolem indidit. Tempora advenerant sui melius conscia et quibus varia instituta res suas in integriorem præclarioremque in dies statum constituebant. Præcipue vero illud contigit institutis illis jam antiquioribus, in quæ totum Ecclesiæ, reipublicæ ac singulorum studium conspirabat, studiorum nimirum Universitatibus.

Vetera monumenta ferunt, ineunte seculo XV, operariorum turbis, urbem quamdam olim opulentam fere desertam factam fuisse. Illius regionis princeps, civitati haud parum addictus, ipsam allevandam statuit, sed modo qui, una cum terrenorum bonorum copia, ingenii quoque donis altissimis ipsam cumlaret. Scilicet anno 1425, flagitante Joanne IV Brabantiae duce, annuente et favente Martino V Summo Pontifice, ad pacem, extincto schismate, reduce orbe catholico, Universitas Lovaniensis fundata est.

Hanc igitur, tam fauste natam ac splendide adultam, secundum præcipua ejus capita, quam presse res tulerit, describendam hoc capite nobis proponimus.

Priusquam tamen antiquam Almam Matrem Lovaniensem, Dei misericordia nostris temporibus ad fovendam, ad instar antiquæ, fidem catholicam catholicosque mores, ad exornandam rempublicam, virosque gentis et ingenii proceres Religionis doctrinæque opibus et robore muniendos, instauratam adumbrare suscipiam, gratus et in Deum et in Almam

hanc Matrem animus hujus per tredecim fere annos filium cogit, ut hic exprimat, quanta jucunditate et opusculi conscribendi commoda et proprium cordis studium amico fœdere in hoc Dissertationis capite sociata conspiciat.

## I.

## FUNDATIO ANTIQUE UNIVERSITATIS LOVANIENSIS.

Ad dignoscendum Universitatum secundum mentem Ecclesiæ reipublicæque Christianæ constitutarum finem et perspicendas earum cum utraque potestate rationes, pauca tantum faciunt, quantum aperienda ipsarum foundationis et erectionis monumenta.

Primum ergo omnium audiamus Martinum V Pontificem, cujus Bullam subjicimus (1); deinde communicaturi ducis Brabantiae rei gestæ notificationem et commendationem.

“ MARTINUS EPISCOPUS, Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sapientiæ immarcessibilis, cujus inextinguibile irradiat lumen, cujusque infinitus est thesaurus, omnem habens vigorem, et virtutis Altissimi dispensator, omniumque crismatum elargitor, ipse Dominus ad hoc, suæ

(1) Cf. Joannis Molani, *Historiæ Lovaniensium libri XIV*, editi, commentario prævio, notis et appendicibus illustrati ab ill. P. F. X. de Ram, Rect. magn. Univ. Cath. in Opp. Lov. Bruxellis, 1861, 2 vol in-4<sup>o</sup>.

Inter appendices hic memoratas prima maximi pretii monumentum exhibet, *Statuta nimirum almæ Universitatis Lovaniensis*, ex veteri MS. codice eousque inedito, collato cum tribus aliis MSS. recentioris ætatis. In hoc codice, t. II, p. 891-1181, hæc statuta, cum iis quæ ipse Molanus in opere suo tradit, cum Valerii Andreæ *Fastis Academicis* (Lovanii, 1650), Nicolai Vernulæi *Academia Lovaniensi* (Lovanii 1668), et *Privilegiis Academiæ Lovaniensi... concessis*, Lovanii, 1728, editis, abundantissimam non Universitatis Lovaniensis tantum, sed Catholicarum mediæ ævi Universitatum constitutioni et vitæ cognoscendæ lucem affundunt.

miserationis dignatu, nobis licet immeritis sponsæ suæ, universalis Ecclesiæ, regimen pia dispensatione commisit, et nostræ debilitatis oculo jugum imposuit Apostolicæ servitutis, ut in Petri specula positi, tamquam de supremo vertice ad infima mundi, protoplastique posteris, qui non nativitatibus deprecantur fructus, sed intelligentiæ spiritu, eamdem, cujus initium verissima est disciplinæ concupiscentia, perstringendi sapientiam, Divinis educantur eloquiis, reflectentes intuitum, quid pro indisciplinatis errantium curandum mentibus pro hujusmodi illustranda Ecclesia ad Fidei propagationem conferat orthodoxæ, quid statui conveniat fidelium quorumlibet, prospiciamus attentius, et qualiter a fidelibus ipsis profugatis ignorantiae tenebris, illi post supereminentissimam summi opificis notionem, per ejusdem sapientiæ donum in via mandatorum directi, veri luminis pertingant claritatem, solertius intendentes eo ad quærendum ipsius sapientiæ alimenta literarum studia, per quæ Divini Nominis et ejusdem fidei cultus protenditur, militantis Ecclesiæ respublica, in spiritualibus et temporalibus, cum animarum salute geritur, pax et tranquillitas ubilibet solidantur, omnisque conditionis humanæ dilatatur prosperitas, nostræ provisionis, sollicitudinis ope, Apostolicisque favoribus propensius excitemus.

Sane pro parte dilectorum filiorum, Nobilis Viri Joannis Ducis Brabantiae, ac Præpositi, Decani, Scholastici, et Capituli Ecclesiæ Sancti Petri, necnon Burgi-magistrorum, Scabinorum et Communitatis Oppidi Lovaniensis, Leodiensis Diœcesis, nobis nuper exhibita petitio continebat: Quod licet in Ducatu Brabantiae et in aliis Dominiis ipsius Ducis, nec non etiam in Leodiensi, Cameracensi, Trajectensi, Morinensi et Tornacensi Diœcesibus, cæterisque ibidem circumvicinis partibus, et Dominiis, multa famosa et insignia

loca populo Christiano et rerum copiâ admodum opulenta existant; nullus tamen in illis locus esse noscitur, in quo saltem Generale vigeat Studium literarum : unde partium illarum plerique, commodo et usu studii carentes, vel hujusmodi literarum imperitiâ subjacent, vel in remotis partibus degere habent, scientiâ hujusmodi in eis sectantes incrementum. Verum oppidum præfatum, quod de temporali Dominio ipsius Ducis existit, adeo rerum copiâ, aëris temperie, multitudinis capacitate, atque domorum, et aliarum rerum necessariarum commoditate per Dei gratiam est referatum, quod ad hujusmodi receptandum, confovendumque Studium aptum plurimum et idoneum existere perhibetur. Quapropter ipsi, Dux, Præpositus, Decanus, Scholasticus, Capitulum, Burgi-magistri, Scabini et Communitas, considerantes attentius, quod inter cætera virtutum opera, quæ tamquam accepta Summo rerum Auctori sacrificia, quæ per manus offeruntur humanas, illa Divinæ Majestati grata plurimum nullatenus ambiguntur, per quæ ad suscipiendum singulare virtutum diadema illis, qui scientiarum earundem sitiunt acquirere margaritam, opportunis remediis, et auxiliaribus commodis, subventionis præsidium efficaciter impertitur, Generale literarum Studium in eodem Oppido ordinari desiderant, ut inibi disciplinæ atque sapientiæ se studiis exercentes, sibi et aliis meliores effici valeant, et partium illarum prosperitatis Auctore Domino facilius incrementum sequatur. Et nihilominus Dux ipse, una cum Burgi-magistris, Scabinis et Communitate hujusmodi domos aptas, et loca convenientia illic cum scamnis et aliis necessariis officinis pro Magistris, Doctoribus et Scholaribus, ac aliis pro tempore legentibus, docentibus, disputantibus et audientibus deputare : Nec non eisdem Magistris et Doctoribus legentibus, de salario competenti annis singulis, vel alias de Bene-

ficiis Ecclesiasticis providere : Nec non quod Rector Universitatis Studii hujusmodi pro tempore existens super omnia membra Universitatis ejusdem , et illorum servitores , tam in civilibus quam in criminalibus , et aliis quibuslibet causis , negotiis et excessibus , sine impedimentis quibusvis jurisdictionem , coercionem , et emendationem dictis Duci , Præposito , Decano , Scholastico , Capitulo , Burgi-magistris , Scabinis et Communitati , communiter vel divisim in eodem Oppido quomodolibet competentes , exercere valeat , concedere et jurisdictionem , coercionem et correctionem hujusmodi a se penitus abdicare , et in Rectorem ipsum plenarie transferre : Singulis quoque Doctoribus , Magistris et Scholaribus , causa studii ad dictum Oppidum accedentibus , vel de illo recedentibus , pro tempore quæcumque sua , res et bona secum asportandi , et ea pro suæ voluntatis libito deportandi , sive ibidem vendendi , libertatem tribuere intendunt pariter et proponunt. Quare pro parte dictorum Ducis , Præpositi , Decani , Scholastici , Capituli , Burgi-magistrorum , Scabinorum et Communitatis , desiderantium etiam , quod Magistri , Doctores , et Scholares supradicti pro potiori dicti Studii incremento condignis Privilegiis se communitos sentiant , quibuslibet privilegiis , libertatibus , immunitatibus et exemptionibus aliorum Generalium Studiorum , quantum in ipsis , Duce , Præposito , Decano , Scholastico , Capitulo , Burgi-magistris , Scabinis et Communitate , et aliis ipsius Ducis subditis fuerit , gaudeant et utantur , nobis fuit humiliter supplicatum , ut in dicto Oppido Generale literarum Studium in qualibet licita Facultate erigere et ordinare , de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur , qui relatione fida , post informationem diligentem super habilitate loci , et aliis circumstantiis præmissis

de mandato nostro receptam, Oppidum ipsum aëris temperie politum, singularumque rerum humano usui necessariorum ubertate refertum, et alias pro hujusmodi studio locum aptum didicimus, pium, meritoriumque eorundem Ducis, Præpositi, Decani, Scholastici, Capituli, Burgi-magistorum, Scabinorum, et Communitatis desiderium, per quod scientiarum fons, ex quo ad Dei laudem et gloriam haurire possint singuli viri consilii maturitate perspicui, virtutum et dogmatum ornatibus redimiti succedant, plurimum commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Auctoritate Apostolica præsentium serie statuimus, et etiam ordinamus: Quod amodo in dicto Oppido generale in Facultate qualibet, præterquam in Theologia, sit Studium, illudque perpetuis futuris temporibus ibidem vigeat, et observetur: Quodque omnes et singuli, Doctores, Magistri, et Scholares inibi omnibus et singulis libertatibus, immunitatibus, et indulgentiis quibusvis Doctoribus, Magistris, et Scholaribus, Coloniae, Wiennæ, ac Lipsensis, Pataviensis et Merseburgensis Diöcesium oppidis studii causa commorantibus per Sedem Apostolicam, vel alias qualitercumque concessis gaudeant pariter et utantur.

Singuli vero, qui cursu feliciter consummato in ea Facultate, qua hujusmodi inhæere studio, bravium obtinere meruerint, sibi que etiam pro aliorum erudimento docendi licentiam, ac Doctoratus sive Magisterii honorem petierint elargiri, per ipsorum inibi Doctores sive Magistros Præposito (quem Cancellarium Studii in Oppido hujusmodi esse perpetuo volumus) si illic præsens fuerit, alioquin Decano dictæ Ecclesiæ, pro tempore existentibus, sive aliis ab eis deputandis præsententur, ut ab illis, si servatis consuetudine et modis, super talibus in dictis Studiis generalibus observari solitis, ad hoc extiterint idonei, sufficientesque reperti,

Licentiam et honorem sortiantur et reportent antedictos : et qui quidem præsentati quamprimum illos adepti fuerint, absque ulterioribus ab eis habendis examine, et approbatione in ipsa Facultate, qua Licentiam et honorem attigerint, in eisdem legere et docere libere et licite ubique possint et valeant.

Rursus quoque omnium et singulorum, causarum, et negotiorum cognitio atque decisio Doctorum, Magistrorum, Scholarium, membrorum atque servitorum eorundem, sive Clerici sive Laïci fuerint, et etiam de quibuscumque criminibus et excessibus, correctio et punitio; ac omnimoda super illis jurisdictio ad Rectorem Studii in eodem Oppido (quem dictum Scholasticum per primum quinquennium esse, et ex tunc annis singulis inibi juxta consuetudinem Studiorum hujusmodi eligi volumus) et non ad Ducem, seu ejus successores, Duces Brabantiae, Præpositum, Decanum, Scholasticum, Capitulum, Burgi-magistros, Scabinos, et Communitatem præfatos, aut aliquem ex eis, ipsorumve Officiales pertinere omnimode dinoscantur, præfatisque Duci, Successoribus, Præposito, Decano, Scholastico, Capitulo; Burgi-magistris, Scabinis, Communitati et Officialibus, et aliis quibuscumque, de causis et negotiis hujusmodi cognoscendi, sive illa dirimendi, aut membra et servitores hujusmodi, vel ex eis aliquem, pro criminibus, et excessibus eisdem, aut quomodolibet corrigendi vel puniendi, seu aliquam in eos superioritatem vel jurisdictionem exercendi, facultate et auctoritate penitus interdictis : Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et aliis contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod nisi infra annum, a data præsentium computandum, Dux, et Præpositus, Decanus, Scholasticus, et Capitulum, ac Burgi-magistri, Scabini et Communitas supra dicti, prout eos communiter vel divisim

contingere censeatur, privilegia et libertates concesserint, ac jurisdictionem a se abdicaverint, et eam in Rectorem ac Universitatem prædictos transtulerint, antedicta realiter, et cum effectu, præsentis litteræ, et quæcumque inde secuta, nullius existant roboris, vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, ordinationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctos Apostolos, V. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno nono (MCDXXV).

*Sic scriptum supra plicam* : Jo. de Nursia.

*Sic in plumbo* : Martinus PP. V. (1). »

INCHOATIO ET NOTIFICATIO STUDII GENERALIS OPPIDI LOVANIENSIS.

« Universis et singulis Serenissimis Regibus, Reverendisque in Christo Patribus, et Illustribus Principibus, Sacri Imperii Electoribus, ac cæteris Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Lantgraviis, Comitibus, Spectabilibus et Nobilibus Dominis, Consanguineis, Confœderatis et Fautoribus nostris dilectis, ad quos vel ad quorum notitiam præsentis nostræ Literæ pervenerint.

JOHANNES Dei gratia Lotharingiæ, Brabantiae, et Limburgiæ Dux, Sacrique Imperii Marchio, necnon Hannoniæ, Hollandiæ et Zelandiæ Comes, ac Dominus Frisiæ, obsequium nostrum et continuum amoris incrementum : nec non omnibus et singulis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, Decanis, Vicedecanis, Cantoribus, Scholasticis, Thesaurariis, Canonicis, tam Cathedralium quam Collegia-

(<sup>1</sup>) V. *Privilegia Academiæ Lovaniensis*. Lovanii, 1728, p. 1-3.



tarum et Parochialium Ecclesiarum Rectoribus , Presbyteris , Vicariis perpetuis , Capellanis , Curatis , Notariis publicis , Clericis , Scholaribus et Studentibus , ac Burgi-magistris , Scabinis , Consulibus , Juratis , et Gubernatoribus Civitatum , Oppidorum et Villarum ubilibet constitutis , Salutem et omne bonum , cum agnitione veritatis infrascriptorum . In Divini Nominis gloria exultamus , et multiplici gaudiorum affluentia lætamur , cum ea , quæ nos nostrarumque terrarum et ditiorum , ac vicinarum gentium et locorum quorumcumque honores et commoda et utilitates respiciunt , possumus explanare . Sane quidem Sanctissimus in Christo Pater et Dominus noster , Dominus MARTINUS Divina providentia Papa modernus , quinto Idus Decembris , Pontificatus sui anno nono , per suas literas more Romanæ Curiae bullatas , ut Literarum scientia auctore Domino magis magisque ac uberius refloreat , mentes , intellectus , et corda devotorum irriguo suo fonte madescant , ac per eam morum , virtutum et devotionum copiam multiplicentur , et tanquam in tellure compluta seminatae , fructum germinent speciosum , ad instantes et humillimas preces , Suae Sanctitati repetitis vicibus nostri pro parte suggestas , in Oppido nostro Lovaniensi , Leodiensis Diœcesis , ac nostri Ducatus Brabantiae , loco igitur vinetis , pratis , rivulis , frugibus et fructibus , ac aliis circa victualia necessariis referto , in aëre dulci et bona temperie situato , loco quidem spatioso , et jocundo , et ubi mores Burgensium et incolarum sunt benigni , Studium Generale pie et ex suae miserationis innata clementia erexit , quod diversis libertatibus , exemptionibus et privilegiis ad aliorum Studiorum Generalium instar fulectum decoravit , ad ejus quidem Studii prosecutionem , ac ipsius de cætero continuationem , de specialibus et egregiis Doctoribus , Licentiatis , et Magistris in omni Literarum scientia præterquam in Sacra

Theologia, eruditis sufficienter providimus, ac provideri fecimus. Qui siquidem Doctores et Magistri Lecturas suas quilibet in sua Facultate ac alios consuetos actus Scholasticos secunda die mensis Octobris proxime futura ad Dei laudem et honorem inchoabunt, Deo ductore prosperante. Et ut tam pium tamque salubre principium laudabiliter inchoandum Deo propitio effectum consequi prosperum laudabilius valeat et votivum, ad quod Doctores, Magistros, Licentiatos, Baccalaureos, et Scholares quoslibet invitamus, ipsos et eorum quemlibet ab omni injuria et violentia, dum opus fuerit, per nos et Officiarios nostros ubique nostrorum Ducatum, Terrarum et Ditionum, tam per terram quam per aquam defensare curabimus et tueri: ac ab oppidanis et incolis dicti nostri Oppidi Lovaniensis dulciter et amore tractari. Bannitis, proscriptis ac fugitivis a nostris Brabantiae Ducatu ac Lovaniensi Oppido, ac qui suis exigentibus demeritis et forefactis in corpore seu membris corrigi demeruerunt, semper exclusis.

Quocirca vos omnes et singulos Serenissimos Reges, Illustres Principes, Archiepiscopos, Episcopos, Duces, Marchiones, Comites, Consanguineos, Confœderatos et amicos nostros, ac alios præscriptos, cujuscumque status, conditionis, aut præeminentiae fueritis, in amore mutuo deprecamur, et rogamus; Quatenus omnia et singula per jurisdictiones vestras solemniter permittere publicari, ac omnes et singulos Doctores, Magistros, Licentiatos, Baccalaureos, Scholares et Studentes universos, ad dictum Generale nostrum Studium confluentes, cum suis rebus, bonis et familia ab omni violentia et injuria defendere velitis, et tueri, nostrarum precum interventu et contemplatione singulari: quod vobis omnibus et singulis nostris Senescallis, Baillivis, Scultetis, Villicis, et aliis Officiariis et subditis nostris

districte præcipiendo ad plenum et fideliter exequi damus in mandatis. Volentes propterea, quod supradictis Doctoribus, Magistris, Licentiatis, Lectoribus, Baccalaureis et Scholaribus, ac Studentibus, et eorum cuilibet, de securo et salvo conductu, si et quando requisiti fueritis, providere curetis, sub obtentu gratiæ nostræ, ac faciendo præmissa passim et publice publicari locis et temporibus congruis et oportunis : Scientes, quod si contradictionem vel negligentiam vestram ad nos veridicorum fama perduxerit, ad qualitatem demeritorum vestrorum in rebus et corpore vestris vos graviter puniemus. Datum in Oppido nostro Bruxellensi, sub nostro sigillo præsentibus impresso, die decima octava mensis Augusti, Anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo sexto (1). »

Hæc acta gravissima quidem eaque varia præ se ferunt momenta; modo tamen ita perspicuo, ut animum, qui eis percullatur, ad ea convertere sufficiat.

Primum quidem videmus quanti et Pontifex et princeps disciplinas earumque quam latissime vulgandum cultum faciant. Sed illico in utroque principe se offert duplex hujus favoris ratio : singularum nimirum disciplinarum ex-cultique per illas ingenii præstantia propria, omnium deinde quæ finis sit ultimus et summus, in Religionis morumque proventum conspiratio.

Nihil igitur miramur, ex utroque actu tam conspicue Pontificis non præcipuam tantum, sed propriam potestatem circa erigendas Universitates elucere. Dux, licet ad principes et subditos conversus, de supplicatione sua ad Pontificem et de Pontificis concessione amplioribus fere verbis utitur quam ipse Martinus.

(1) *Privilegia Academiæ Lovaniensis*, p. 14-16.

Utriusque vero hucusque indicati momenti vis eo gravior est, quod disciplinæ sacræ, sacræ theologiæ facultas, concessione adhuc non comprehenderentur : « *In facultate qua-  
» libet, præterquam in Theologia.* »

Hanc Pontificis auctoritatem exhibet Cancellarii per ipsum pro perpetuis futuris temporibus designatio : hic vero sibi præsentandis doctoratus vel magisterii gradum docendique licentiam ipse conferet, auctoritate nimirum Apostolica præditus.

Rector autem Universitatis quanta auctoritate, postulante, imperante fere dixerim, Pontifice exornetur, vix efferre opus est : cognitio omnium causarum negotiorumque quorumcumque membrorum Universitatis hujusque servitio addictorum, etiam de quibuscumque criminibus et excessibus, ad ipsum pertinet. Ne tamen credatur nominis tantum fuisse in hac transferenda a Duce in Rectorem potestate Pontificis auctoritatem, notasse juvat cum Molano Ducem ægerrime primum ipsius expostulationem tulisse, nec nisi coactum fere et compulsum illi fuisse tandem astipulatum (1).

Ejusmodi porro in Rectoris favorem abdicatio non a duce tantum facienda : magistratus tum ecclesiastici tum civilis oppidi propria auctoritas in Rectorem transferenda a Pontifice dicitur.

Tandem, dum suam de loci commodis atque opportunitate et Pontifex et dux sollicitudinem aperiunt, utriusque præcipue in disciplinarum proventus obsequium et in illarum studiosos animus devotissimus maxime ex privilegiis amplissimis, quibus vel adeuntes vel præsentés vel abscedentes

(1) Cf. Molanum, p. 462. « *Audivi autem clarissimum dominum Wame-  
» sium in Universitate referentem, Joannem ducem valde sollicitasse ne  
» hanc abdicationem faceret, sed Martinum cedere noluisse, eo quod  
» ipse, quum Bononiensis esset professor, a laïco magistratu indigne  
» fuisset tractatus.* »

cumulandos pronuntiant conspiciuntur. Privilegia velut dos aliqua disciplinarum a potestate tam ecclesiastica quam civili oblata præbentur.

Ut Universitas plene constitueretur cessio stipulata locum habere debuit. Hoc quidem præstiterunt oppidum, anno 1426, die sexta Septembris (1), pro jurisdictione vero ecclesiastica scholarumque, die quinta Octobris, præpositus et decanus capituli; capitulum et scholasticus Ecclesiæ collegiatæ Divi Petri (2); dux tandem propriam in subditos Universitatis jurisdictionem ad instar præcedentium in hujus Rectorem transtulit die sexta Novembris ejusdem anni 1426 (3).

Ejusmodi concessionem publicam Universitatis auctoritatem sanciebant. Jam tamen antea provisum erat de locis aptis scholarum, cæterisque vel ingenii vel copiarum necessitatibus, et ducis publica *Inchoatio* Lovaniumque veniendi magistris et scholaribus universis per publicas istas litteras facta invitatio frequentes illos ad novæ Universitatis sedem acciverat. Pro aperienda ipsa atque inchoanda, „Nicolaus „Prumius, J. U. Doctor, VII Idus Septembris, pridie „natalis Divæ Virginis de Academia institutione et auspiciis, deque artium omnium laudibus elegantissime peroravit. Præsens erat Ducis Consilium; aderant Brabantiae „abbates fere omnes et Nobiles.... circumstabat frequentissima novæ Juventutis, quæ jam undique confluerat, „corona. Hoc modo velut in possessionem missi sunt Professores, qui in sua quilibet Facultate mensis Octobris die „secunda lectiones suas auspicati sunt. Ita factum est, ut „Academia, quæ cum concepta Deipara Virgine concepta

(1) V. *Privilegia Acad. Lovan.*, p. 17 seqq. ubi publicum hujus cessionis documentum communicatur.

(2) *Priv. Acad. Lov.*, p. 20 seqq.

(3) *Ibid.*, p. 25 seqq.

„ fuerat, cum eadem nascente, quodammodo nasceretur,  
„ inque lucem prodiret (1). „

Universitatem a Martino V quatuor tantum, nempe decretorum, legum, medicinæ et artium facultatibus constitutam, Eugenius IV, bulla data anno MCDXXXI, nonis Martii, theologica auxit, sicque integrum ipsa disciplinarum cunctarum cultum exhibuit, perfectumque exinde illius corpus potuit haberi.

## II.

### DE SUMMO UNIVERSITATIS MODERAMINE, ET QUINAM SUB IPSO CONSTITUERENTUR.

#### § 1. *De tribus præcipuis Universitatis dignitatibus.*

„ Habet Universitas prælatos tres, rectorem, cancellarium  
„ et conservatorem (2). „

#### A. *De Rectore* (3).

Totius Universitatis summum caput et unum est Rector. Uti Universitatis caput, primas juris honorisque partes tam intra ipsam quam extra suscipit.

Rector pro munere suo præsidet corporibus quæ totam Universitatem regendam habent, concilio nimirum Universitatis seu senatui academico, et corpori minori quinque decanorum facultatum, qui congregati ipsius aliquod consilium angustius efficiunt. In senatu autem unam tantum vocem habet, seque suæ facultati adjunget.

(1) Vernulæi *Acad. Lovan.*, p. 6.

(2) Molanus, I, 468.

(3) Cf. Bullam et acta laudata, Molanum, I, 468, et II, 893-898; Vernulæum, op. cit., p. 16 s., 28-34; Valerium Andream, op. cit., p. 29 ss.

Universitatis concilium ipse Rector convocat ad Congregationes ipsius statis diebus, ut in duabus diebus electionis duabusque continuationis Rectoris, habendas auctoritate omnino propria. Statuta laudata etiam hæc ferunt: « Rector quancumque per aliquem ex decanis Facultatum » vel promotorem ad congregationem faciendam requisitus » fuerit, aut quum id ei expedire videbitur, congregationem » Universitatis indicat. » Unde patet decanorum Facultatum magnam in hoc negotio esse auctoritatem; verba autem, quibus Rectori hic potestas facta videtur indicandi « quum » id ei expedire videbitur » congregationem Universitatis, temperationem debere pati exinde censenda est, quod alibi convocatio Senatus extra ordinem *judicium Deputatorum* exigere perhibetur (1).

Præter hanc, qua Rector totius Universitatis in hujus communibus congregationibus et negotiis caput exstabat, potestatem, nobilissimum, immo tam a Pontifice quam a Principe maxime elatum, ipsius jus illud erat quo in subditis Universitatis plena ipse gaudebat jurisdictione.

Vidimus quidem pro parte sua Ducem Brabantia non nisi reluctantem in tantam Rectoris auctoritatem consensisse (2); immo, uno mense post cessionem vix elapso retrocessio Duci pro causis criminalibus in quibus de pœna sanguinis ageretur a tribus doctoribus qui tres facultates decretorum, legum, medicinae, se repræsentare dictitabant facta est (3). Sed contra hanc facultas Artium solemniter intercessit, neque unquam ab Universitatis corpore legitime consentiente ejusmodi retrocessio emanavit. Nostrum quidem non est hic tale negotium ad acum dirimere; notemus solum

(1) Cf. Valer. Andr., *Fasti acad.*, p. 55.

(2) Cf. p. 80.

(3) Cf. *Fasti acad.*, p. 11-15.

cum Valerio Andrea ducenariam possessionem prætensæ retrocessioni contrariam in Universitatis vel Rectoris favorem tempore quo Valerius scribebat jam stetisse : in hujus autem comprobationem testem vocat Vernulæum, multa exempla supremæ illius jurisdictionis, non exercitæ tantum, sed post impugnationem a summis magistratibus agnitæ laudantem. Porro in solemnibus Universitatis visitatione a principibus Alberto et Isabella per ipsorum commissarios facta, juncta Apostolica auctoritate, in suprema Brabantia Curia Consiliariorum hanc eandem jurisdictionem sartam tectamque esse hi principes voluerunt (1).

Regulariter autem Rector bis in hebdomada pro tribunali sedere debebat (2), hora per ipsum præscribenda, quam posset fieri brevissime, inutilibus terminis resectis, atque gratis jus et justitiam administraturus. A sententiis vero per Rectorem latis mox videbimus appellationem quidem datam fuisse, sed ad iudicium academicum et ipsum, et exinde ad solum Romanum Pontificem.

Rectori Alexander VI, anno 1501, 15 Januarii concessit usum censurarum (3).

Potestati nec honor defuit. Omnes urbis magistratus et quicumque dignitatum gradus Rectori assurgunt et de via decedunt. In Academia Cardinalibus solum et Apostolicis nuntiis qui simul sint legati a latere cedit; extra Academiæ academicosve actus etiam loci Ordinario. Hunc dignitatis locum Molanus illi tanquam Summi Pontificis vicario tributum agnoscit. Laudatur immo ab auctoribus exemplum Caroli V, Imperatoris Romani, qui « Academiæ principi loco

(1) Cf. *Fasti acad.*, l. c.; Val. Andr., *Acad. Lov.*, p. 50 seqq.

(2) In magno refectorio Fratrum Augustiniensium, posteriori ætate in camera sive aula rectorali in *Hallarum* ædibus exstructa.

(3) V. Molan., I, 468.



» cessit, et latus textit (1). » Carolus vero audax, Burgundiæ Dux, provinciarum suarum ordines quum Antverpnam evocasset, omnesque ordines astarent, Rectorem, ipsum quoque vocatum, voluit coram se primum dicendi locum obtinere, quum illum Academicamque Lovaniensem declararet se nobilissimum honoratissimumque totius Brabantiae membrum habere; Rectorem vero dicendo ordines sequerentur.

Toga pileoque magistrali insignitus semper procedit, et in humeros extensum habet paludamentum rubrum (viola ceum si sit theologus), in oris variegatis pellibus contextum, quod a Principum dignitate et auctoritate, illi pro jurisdictione et potestate qua gaudet competente desumptum est. Ex eodem fonte promanant insignia sceptrorum vel argenteorum vel auratorum, quæ, unum vel duo aliquando, diebus solemnioribus octo, singula a singulo *accenso* vel *bedello* coram Rectore incedente feruntur, pone sequentibus famulis. Porro, quum supplicationibus solemnibus per Urbem interest, ordine suo illum omnes omnium facultatum doctores ac magistri qui in Senatu academico sunt, comitantur; sequuntur fisci advocatus seu syndicus, promotor, secretarius, et alii qui functionem academicam obeunt; tum satellites (2).

Temporibus autem illis honores manifestius fere quam diebus nostris pretium quo res ipsæ habebantur indicabant, neque quisquam tunc potius quam nunc loco suo cedere paratus erat. Ex quo patet quanti Universitates omnes ea ætate fecerint.

Id vero ponderis Rectoris habet officium, ut ne unam quidem noctem, prohibentibus veteribus illis statutis in

(1) Cf. Mol., I, p. 468; Vernul., p. 11, 12; Val. Andr., p. 50.

(2) Cf. Vernul., p. 12, 13; Molanum, Valer. Andr., locis laudatis.

appendice ad Molanum communicatis, ab Oppido Lovaniensi absque Universitatis speciali permissu et licentia abesse queat : tum vero pro tempore absentiae vice-rector constitui debuit (1).

Potestas Rectoris, trimestris primum, ab anno inde 1446 semestris facta est : servabantur quidem vetera quatuor trimestrium comitia, sed eorum duo intermedia continuando in aliis creato Rectori destinabantur.

Eligebatur vero Rector a quinque facultatum quinque *intransantibus*, viris electis ipsis a sua quisque facultate, qui ante electionem de electione integre peragenda juramentum in manibus Rectoris mox abscessuri praestabant.

Debebat autem Rector esse in aliqua facultate birretatus, clericus, non conjugatus, non bigamus, non religiosus, satis locuples qui se duosque ministros honeste exhibere posset. Bis successive continuari unus idemque Rector prohibebatur.

In Rectorem electus mox sequens jusjurandum fidei addita professione, emittebat, quod ipsius officii ipsiusque tum auctoritatis tum subjectionis erga Universitatem rationes non parum illustrat : “ Ego N. juro ad hæc Sancta Dei Evangelia, quod fideliter et diligenter exercebo officium rectoratus hujus Almæ Universitatis Lovaniensis, juxta statuta ejusdem edita et edenda, ac alias quemadmodum mihi pro bono Universitatis expedire videbitur, quodque statuta Universitatis intra octo dies proximos diligenter et attente perlegam et conclusiones Universitatis sine mora quantum fieri poterit exsequar, quandocumque per Decanos Facultatum vel promotorem Universitatis interpellatus fuero, quodque nullas pecunias ab intitulandis recipiam, nec alias quas litteras signaturam receptoris requirentes sine illius signo, manu ejus annotato, sigillabo. ”

(1) Antiqua statuta, Molan., II, 896.

Eadem die recipiebat librum statutorum et intitulantorum sigillaque, cistam et claves rectoratus, fideliter custodienda.

B. *De Cancellario Universitatis* (1).

Secundus in Academia honor et ipse prælati dignitatem exhibens est *Cancellarii*.

Martinus V Pontifex ut Cancellarium perpetuum designavit præpositum Ecclesiæ collegiatæ S. Petri Lovanii.

Cancellarii officium est, titulos et honores academicos altiores, licentiæ videlicet, magisterii et doctoratus, auctoritate Apostolica conferre. Jurisdictionem porro nullam exercet.

Proximum in publicis consessibus omnibus a rectore locum habet; quinimo quando vel ad chorum Ecclesiæ S. Petri, vel ad Scholas publicas pro creandis doctoribus vel magistris sibi præsentatis Cancellarius progreditur, rector se illi comitem adjungens sinistrum ejus latus, dum gradus collatus fuerit, tantisper claudit.

Præposito S. Petri absente, ejus officio Decanus ejusdem Ecclesiæ fungitur; utroque absente, quem præpositus designaverit. Locum autem Cancellarii et insignia qui ejus vices gerebant obtinebant, non vero Cancellarii nomen.

Auctoritate ergo pontificia, uti et statuta et auctores unanimiter ferunt, in quacumque facultate gradu insigniendos Cancellarius renuntiabat. Refert tamen Valerius Andreas in facultate theologiæ inferiores solum gradus a Cancellario fuisse renuntiatos, facultatis doctoribus sibi id juris pro creandis magistris et doctoribus ibi vendicantibus. Idem auctor concedit hoc introductum fuisse contra tenorem bullæ

(<sup>1</sup>) Cf. Molanum, I, 482-495; II, 955-956. — Valer. Andr., *Fasti acad.*, 55-61; Vernul., *Acad. Lov.*, 19-26.

qua Eugenius IV theologicam facultatem in Universitate Lovaniensi erexerat; usu tamen vel privilegio id obtinuisse notat. Idem Valerius porro refert neque in facultate Artium ullas fuisse Cancellario partes in actu promovendorum ad doctoratum sive birretationem peragendo. „Verum,“ addit „auctor, id juris Facultati ex speciali competere concessione“ a Præposito, eodemque Cancellario, Pontificia auctoritate „facta, didici postmodum ex actis ejusdem Facultatis (1).“ Ipsa autem statuta in appendice I ad Molanum, ab Ill. de Ram communicata, alicujus pro facultate theologiæ vel artium hujusmodi exceptionis ne mentionem quidem faciunt; sed loquuntur modo omnino generali de licentia et honore quem a Cancellario candidati sortiantur.

C. De Conservatore Privilegiorum Academiæ (2). —

Judicis privilegiorum seu *Conservatoris* munus tertia in Academia dignitas est, eaque, ut cancellariatus, perpetua. In publicis quoque conventibus primus post cancellarium Conservatori locus debetur.

Conservator privilegiorum constitutus est a Martino V, Summo Pontifice, bulla data die 9 Septembris (V Id. Sept.) (3), anno 1426. Muneris scopus est Academiæ jura privilegiaque tueri ac conservare, et Rectori in amplissima ipsius etiam extra Academiam exercenda jurisdictione, ubi sine viribus ipsa esset, assistere.

Vidimus enim causarum omnium, tum civilium, tum cri-

(1) Cf. Val. Andr., op. cit., p. 57-59.

(2) Cf. Molan., I, 495-496; II, p. 980-990; *Fasti acad.*, p. 61-74; *Acad. Lovan.*, 25-28.

(3) Molanus I, 495, *Nonas septembres* indicat; in *Priv. acad. Lov.* vero ipsa bulla diem *V Id. Sept.* adscriptam habet, ipsamque hanc diem et Vernulæus et Valerius Andreas tradunt.

minalium, quæ aliquod Universitatis membrum spectarent cognitionem et iudicium tam a duce quam a magistratibus ecclesiasticis et civilibus urbis fuisse in rectorem translata. Sed « evocari ad Rectoris tribunal non poterant qui ejus in » se imperium non agnoscebant. Ita fiebat, ut qui in Aca- » demia erant, Rectoralis jurisdictionis subsidio uti non » possent, lite etiam certare eo in loco in quo bona eorum » sita, aut initi contractus cogerentur, magno sane sumpto » suo, et studiorum jactura. Huic incommodo ut obviam » iret provida summorum Pontificum indulgentia, constituti » sunt, apostolica auctoritate iudices, quos conservatores » appellamus, quorum officium est manifestam invasionem, » injuriamque ab Academicis et Scholaribus depellere, ac » de certis eorundem causis iudicare (1). »

Revera privilegia Universitati illiusque membris concessa sæpe sæpius potuissent extra oppidum lædi, vel causis quæ ex indole sua tribunalibus extra Lovanium constitutis subjacerent ansam præbere : privilegia enim aliqua Universitatis membra ipsorumque res in via comitabantur, alia reddituum beneficiorumque foris constitutorum fruitionem Lovanii disciplinarum studio vacantibus sinebant; alia quoque his similia statuebant. Aliunde vero in causis etiam juris communis, ex vi veteris illius semperque recepti juris dogmatis, statuentis nimirum quod *Actor sequitur forum rei*, si subditus aliquis Universitatis actoris partes contra extraneum ageret, ex jure communi generaliter hujus, longe sæpe a sede studiorum remoti, tribunal sortitus esset. Tuendis ergo studiorum studentiumque juribus, Martinus V designatis a se conservatoribus sequentia mandat :

« Nos igitur adversus occupatores, detentores, præsump-

(1) *Acad. Lovan.*, p. 25.

„ tores , molestatores , injuriatores et alios temerarios supra-  
 „ dictos , illo volentes eisdem.... dictæ Universitatis perso-  
 „ nis.... remedio subvenire , discretioni vestræ.... mandamus ,  
 „ quatenus vos.... præfatis Rectori.... et ejusdem Universi-  
 „ tatis personis efficaci defensionis præsidio assistentes ,  
 „ non permittatis eosdem super præmissis et quibuslibet  
 „ aliis bonis , rebus et juribus ad illos communiter vel divi-  
 „ sim spectantibus a quibusvis indebite molestari.... aut  
 „ contra privilegia , concessiones et indulta.... ipsis.... dictæ  
 „ Universitatis personis a sede prædicta , vel alias hactenus  
 „ concessa , seu imposterum.... concedenda , infringi seu  
 „ violari aliquatenus , vel etiam impugnari , facturi dictis....  
 „ Universitatis personis , cum ab eis.... super his fueritis  
 „ requisiti.... de prædictis et aliis personis quibuslibet super  
 „ restitutione hujusmodi Castrorum , Villarum , terrarum ,  
 „ locorum , Jurium , Jurisdictionum , reddituum , proventuum ,  
 „ et aliorum bonorum quorumlibet nec non de quibusvis  
 „ molestiis , injuriis atque damnis , cæterisque ipsorum tam  
 „ realibus , quam personalibus actionibus præsentibus et  
 „ futuris ; in illis videlicet quæ judiciale requirunt indagi-  
 „ nem summarie , simpliciter et de plano ac sine strepitu et  
 „ figura judicii ; in aliis vero prout qualitas negotiorum exe-  
 „ gerit , justitiæ complementum , occupatores , seu detento-  
 „ res , molestatores , præsumptores et injuriatores hujusmodi ,  
 „ nec non contradictores quoslibet , et rebelles cujuscumque  
 „ dignitatis , status , gradus , ordinis vel conditionis exstite-  
 „ rint , quandocumque et quotiescumque expedierit authori-  
 „ tate Apostolica per censuram Ecclesiasticam , appella-  
 „ tione postposita compescendo , invocato ad hoc si opus  
 „ fuerit auxilio brachii secularis . ”

Hæc alii quoque sanxerunt Pontifices , eaque in vicinis  
 circumquaque provinciis publicata fuerunt . Secundum tra-

dita a Valerio Andrea dici nequeunt Duces Brabantiae læto omnino ac prompto animo his juribus astipulati. Anno 1495, die 5<sup>a</sup> Augusti, Philippus Pulcher, ejusdemque mensis et anni die 15<sup>a</sup> Maximilianus imperator quoad materiam causarum de quibus Rector et conservator deinceps cognoscere possent, per modum Concordati atque indulti aliqua statuerunt quorum substantiam sequentia exhibent.

I. Uterque deinceps regulariter non cognoscet neque iudicabit nisi de solis causis personalibus; incidenter tantum, in actione ceterum versante circa causam personalem, causam aliquam speciem realem præ se ferentem introspicere poterunt. II. Regulariter Conservator cognoscere poterit de causis beneficialibus. III. In materia confiscationum cognitio omnis regulariter manebit apud Principem. IV. In causis solutionis reddituum, aut alius rei poterunt Rector et Conservator, ut sciatur qua ratione et quo pretio solvendum, inter partes suæ jurisdictioni subjectas cognoscere, proponendo nempe partibus constitutiones principum de re monetaria; si vero quæstio agatur de interpretatione alicujus constitutionis, cognitioni ejusmodi neuter amborum se immisceet. V. Rectori et Conservatori competit cognitio super transportibus aut cessionibus et quæstionibus, inde dependentibus, quæ fiunt in personas suppositorum Universitatis, idque in linea directa et ejus summæ sive quantitatis quæ iisdem pro continuatione studiorum istorum videbitur necessaria. VI. Quoad gratias et rescripta moratoria per Ducem aliquibus oppidis vel personis privatis concedi solitas permisit Dux Universitatem eis respectu verorum scholarium suorum non teneri, quod quidem intuitu privilegiorum suorum Universitas ita fieri debere tuebatur.

Hoc autem discrimen est inter Rectoris tribunal et Conservatoris, quod si civis aut studiosus in iudicio experiatur

cum studioso, Rector sit adeundus; si studiosus cum cive aut extraneo, Conservator. Extraneus, — neque scholaris scilicet neque civis, — qui compulsus propter Universitatis subditorum privilegia, subditum iudicio petat, Conservatoris iudicium adeundum habet. Neque mira hæc inter rectoris et Conservatoris tribunal distinctio. Conservatorem enim ob eam ipsam causam constitutum vidimus, ut, qui rectoris jurisdictioni non subessent, iudicio tamen intra Lovanii fines oppeti possent.

Conservatoris institutum, præter iudicem proprium, duo maxima beneficia Universitatis subditis conferebat, quibus studiis quoque longe quietius vacare poterant, nempe ut ipsis etiam pro rebus alibi sitis forenses Lovanium evocare liceret, et forenses extra Lovanium subditos Universitatis evocare non possent, dummodo hi paratos se exhiberent coram aliquo ex Conservatoribus juri stare. Quantum vero majoris ponderis duplex hoc privilegium ex temporum adjunctis caperet, vel ex eo colligere licet, quod tunc viri ætate provectiores ac rerum propriarum administrandarum arbitri sæpe sæpius Universitates frequentarent, ex regionibus remotissimis magnam partem adventantes; scholarum aliunde, quas nunc vocamus, feriæ multo breviores essent, viæ vero longe incultiores itinerandique longe minores opportunitates brevis temporis discessum, quo negotiis vacare domi licuisset, multo difficiliorem rarioremque haud reddere non possent.

Conservator bis in hebdomada pro tribunali sedebat.

Munus hoc exsequendum Martinus Pontifex episcopo, postmodum Archiepiscopo Trajectensi, abbati B. Mariæ Tongerloensi, et decano ecclesiæ collegiatæ S. Petri Lovanii demandaverat. Biennio tamen nondum elapso, ad preces Universitatis idem Pontifex hac potestate et abbati et de-



cano adempta, illam in præpositum, mox abbatem, S. Gertrudis Lovanii, et decanum S. Gudulæ Bruxellis transtulit. His tribus Pius IV anno 1562 tres alios adjunxit, præpositum videlicet et decanum ecclesiæ S. Petri Lovanii et decanum S. Jacobi ejusdem civitatis.

Ex variis a Sede Apostolica designatis Conservatoribus Universitas unum vel plures, qui revera Conservatores essent eoque munere fungerentur, eligere poterat, uni tamen soli solebat illud committere.

Collatio vero hujus dignitatis sub certis fiebat legibus, conditionibus et stipulationibus electo proponendis sancientisque ab ipso.

§ 2. *De corporibus pro tota Universitate regenda constitutis.*

« Forma Academiæ hujus mixta est, et recte monarchiam » aristocratica ratione temperatam dixero (1). »

Tria præcipue instituta moderandæ Universitati conferunt: Senatus academicus seu Concilium Universitatis; Consilium Rectoris; Tribunal Judicum Appellationum.

A. *De Senatu academico* (2).

Senatus academicus corpus erat in quo residebat summa statutorum legumque condendarum, majorisque ponderis negotiorum decernendorum auctoritas. Vernulæus, dum Universitatem monarchiam dixerat, sed aristocratica ratione

(1) *Acad. Lov.*, p. 9-10.

(2) Cf. Molan., append. *Vet. Stat.*, II, 894, 899, 902; Vernul., *Acad. Lov.*, 9 seqq.; Valer. Andr., *Fasti Acad.*, 52 seqq. — Ceterum hic silentio premi nequit, *Senatum academicum* in aliis Universitatibus, vel ex temporum mutationibus vel ab initio, sæpe majorem similitudinem habuisse cum rectoris Lovaniensis consilio, quam cum senatu academico Lovaniensi.

temperatam : « Rector enim , » ait , « unus est , Academiæ » caput , qui gubernat , sed cum academico Senatu . Quippe « hic moderatur omnia temperatque , et ab eo Rector ipse » pendet . »

Auctoritatem suam Senatus academicus exserebat in *Congregationem Universitatis* coactus , nomenque etiam exinde *Conciliū Universitatis* assumebat .

Quæ circa statuta , vel nova condenda vel corrigenda , decernenda erant , dum primum diligenter ab Universitate ejusve deputatis perpensa fuissent , debebant , quo vi statuti gauderent , tribus proximis et continuis congregationibus Universitatis proponi et per eam approbari .

Dubiorum statutorum interpretandorum potestas etiam erat penes Senatum , cujus si suffragia in æquales facultatum oppositasque partes abibant , consiliis jurisperitorum nulli parti addictorum res dirimenda debebat remitti .

Ad Concilium Universitatis libere et absque contradictione , certis servatis conditionibus , jure admitti debebant omnes superiorum (1) facultatum doctores , etiamsi actu non docerent ; « item , » dicit Valerius Andreas , « licentiati , non » etiam Baccalaurei in utroque vel altero jure non biretati . » Magistri Artium non omnes admittebantur , sed quoad istos videtur varia variis temporibus fuisse regula . Valerii tempestate aditus illis præcludebatur , « nisi , ait , per triennium promoti fuerint , aut per biennium in Facultate Artium aut

(1) Theologiæ , nimirum , decretorum , legum , medicinæ . Videntur hæ facultates superiores vocatæ , ratione non tam , credo , inferioris quod habuerit facultas Artium pretii , sed propter morem illius temporis , quo multi ad facultatum illarum studia nonnisi absoluto completo vel quodam Artium studiorum curriculo veluti ascendebant . Quum exinde Artium studiosi junioris ætatis fere essent , hanc ipsam temperati doctorum Artium ad Senatum academicum accessus rationem existisse credimus .

in Pædagogio aliquo vel vico legerint (1). » Invitus porro huic ordini nemo ascribatur. Nullus autem congregationibus proprie dictis Universitatis, deliberationibus et conclusionibus interesse poterat, qui de Universitatis concilio non esset, excepto ipsius notario.

Senatus pro eligendo vel continuando, si bene rexisset, rectore quater in anno, pro eligendo nimirum pridie kal. Martias et Septembres, pro continuando pridie kal. Junias et Decembres regulariter cogi debebat. Præterea ordine statuto congregatio prima Octobris habebatur, quasi annum studiorum cursum aperiens: oratio latina primo laudibus omnes artes et facultates extollebat, deinde, publicatis statutis, legebantur schedulæ doctorum per annum sequentem docere volentium. Hæc videntur in ista congregatione omnino publice fieri potuisse, prout etiam res ferebat; addunt autem statuta: « et si quid præterea proponendum » sit, proponat Rector concilio Universitatis, cæteris abire » jussis. — Die tertia Novembris congregatio erat pro solemnibus Missa audienda, quæ pro fundatoribus, benefactoribus et suppositis Universitatis celebrabatur (2); postea quod valde serius occurrisset proponi poterat a rectore. — Congregatio tandem postridie S. Thomæ Apostoli habita abdicandis rursumque, si Universitati placuisset, assumendis variis illi inservientium virorum muneribus destinabatur. Mittere autem sic debebant munia sua omnes notarii ac procuratores, tam Conservatores quam Universitatis promotor, bedelli, librarii, nuncii et alii « quinque » servitores

(1) P. 35. Cf. Vernul., p. 10, ab his aliquantulum diversas condiciones enarrantem.

(2) Apud Fratres Prædicatores primum; posterioribus temporibus, quum in Hallarum ædificio aula quoque habendo Senatui exstructa fuisset, in ecclesia S. Petri regulariter Missæ Universitatis celebrabantur.

Universitatis. His peractis, cætera negotia si quæ erant tractanda proponerentur et absolventur dimittebanturque Universitas.

Ultra hæc comitia fixa, pro gravioris ponderis negotiis Senatus convocari poterat, utrum absoluto an per deputatos moderando rectoris arbitrio, dubitandum videtur (1). Cæteroquin omnium jura et commoda facile in tuto collocabat promotoris vel decanorum facultatum pro requirenda a rectore ejusmodi convocatione auctoritas, ipsiusque decani officium de hoc rectorem interpellandi, quandocumque per aliquem studentem facultatis vel de illa existentem propter hoc ipse interpellatus fuisset, et justa causa visa esset (2).

Quum congregatio ad tractandum aliquod negotium vocata convenisset, Rector de quo deliberandum et statuendum esset proponebat. Tum facultates singulæ recedebant, in singulisque, viritim vocibus datis, secundum majorem suffragiorum numerum judicium ferebatur. Facultatum autem conclusio per uniuscujusque decanum rectori et Universitati deferebatur, secundum facultatum ordinem. Quo facto, concludebat rector et statuebat. Quod autem tres saltem facultates concorditer deliberaverant et concluserant, habebatur pro conclusione Universitatis, etiamsi non omnes facultates præsentibus exstitissent. Excipe tamen quæ aliquam facultatem specialiter tangebant, et negotia valde ardua, (a tribus nempe facultatibus sic judicata); in posteriori enim casu omnes facultates, ut lex fieret, consentire debebant, in priori vero facultas quam specialiter res tangebatur.

Convocabantur vero membra istius Concilii Universitatis pro quatuor congregationibus electionis et continuationis

(1) Cf. p. 62.

(2) Cf. p. 85; Mol., ant. stat., II, p. 902.

Rectoris, tum per edictum a Rectore in valvis ecclesiae S. Petri affigendum, tum, qui etiam erat modus pro ceteris congregationibus indicendis, nominatim per bedellum a Rectore singulis quos de Concilio Universitatis sciebat, missum. In re graviore, et temporis sinente mora, ad singulos facultatum decanos schedulae quoque proponendorum dabantur.

Præter ordinarias hasce Universitatis congregationes, subinde etiam congregationes generales, occurrentibus negotiis arduis totam Universitatem, omnia scilicet et singula supposita, respicientibus, habebantur. Universitatis amplitudinem luculenter exhibent modus et formula quibus ejusmodi generalis congregatio indicebatur. Edictum nimirum fiebat publicum, sive publicum monitorium; en verba quibus, aliisque similibus, conceptum illud erat, quibusque harum congregationum tractando negotio finem facimus:

“ Rector et Universitas Studii Generalis Lovaniensis exhortantur, monent et requirunt omnes et singulos, Prælatos, Abbates, Doctores, Nobiles, Licentiatos, Magistros, Canonicos, Priores Conventuum, Plebanos, Presbyteros, Scholares, et alios quoscumque incorporatos et eidem Universitati attinentes, quatenus die.... hora.... intersint generali Congregationi omnium et singulorum Suppositorum, ad audiendum aliqua proponi nomine et ex parte ejusdem Universitatis, concernentia bonum, honorem et privilegia Universitatis: et hoc sub pœna præstiti juramenti et gravissimæ indignationis ac læsionis ipsius Universitatis. Datum.... ”

B. *De Consilio Rectoris* (1).

De hoc consilio pauca sufficient. Aderat Rectori pro

(<sup>1</sup>) Cf. Molan., II, Suppl., Append. I, 900; Valer. Andr., p. 32 et 33; Vernul., 40 seq.

regenda Universitate. Negotia quæ congregationem Universitatis gravitate sua non requirebant ad Rectoris hujusque consilii judicium rejiciebantur. Cum ipso Rector de negotiis Academiae deliberabat; ad ipsum quoque vidimus congregationem Universitatis, si de decernendis ipsa dubia hæreret, negotia examinanda, immo sæpe cum Rectore, illius capite, terminanda, remittere consuevisse. Singulorum hujus membrorum, facultatum saltem decanorum erat vel motu proprio, vel facultatis quodam membro interpellatorum, Rectorem pro cogenda congregatione Universitatis adire.

Ceterum ipsa hujus Consilii indoles Rectorem cum Universitatis illiusque subditorum necessitatibus familiarissimum semper esse sinebat. Membra nempe consilii præcipua, immo prima ætate sola, quinque decani erant facultatum, ordinarii facultatum dicti Deputati; hi vero electione constituiebantur corporis ipsius cui veluti præerant (1). Inde quoque factum est ut hoc Consilium, Rectori quidem ad meliorem facilioremque gubernationem datum, Universitatis facultatumque et subjectorum jura sarta tecta aptissime servaret. Horum deputatorum erat pridie ante rectoris novi electionem veteris res gestas, recitante secretario, audire, examinare, et si recta reperirentur, probare.

Quinque decanis, sive ordinariis facultatum Deputatis, postea pro efficiendo hoc Rectoris Consilio additi sunt Dictator qui dicebatur litterarum Universitatis et Advocatus fiscalis, ipsi quoque ad tale officium obeundum aptissimi.

*Dictator enim litterarum Universitatis* vir debebat esse doctus, jurisperitus, quotannis eligendus vel continuandus per ordinem facultatum, qui, missis casibus excipiendis, litteras Universitatis scriberet quandocumque a Rectore

(1) Cf. Molan., II, App. I, 900 n° 8; et Molan., I, 586.

fuisset requisitus. In magni momenti negotio litteræ illæ coram Rectore et Deputatis legendæ erant et earum exemplum, sicut et copia litterarum receptorum, retinendum (1).

*Advocatus* vero *fiscalis* apud se habere debebat et *incorporare* omnia privilegia Universitatis, ipsiusque exemptiones, libertates, concordata et acta cum principibus et communitatibus, episcopis atque prælatis. Præterea officium illius erat, contra quoscumque prosequi omnes Universitatis causas, in quibus agebatur de læsione alicujus privilegii. Venire debebat ad omnes congregationes et deputationes, ac quoties Rectori libebat, ubi scilicet aliquid de suprascriptis negotiis tractaretur; invitandus erat ad omnes actus ad quos doctores et aliqui licentiati in omni facultate. Assistere porro debebat Promotori in libellando et dirigendo processu fiscali contra excedentes et statuta edictave violantes (2).

His autem membris Consilii ordinariis, alii aliquando, extra ordinem, Rectoris judicio adjungi solebant.

C. *De Tribunali quinque Judicum Appellationum* (3).

Rectoris jurisdictionem absolutam in subditos cognoscimus: tanta tamen auctoritas ab omni superiore quæ ejus errores curaret reprimeretve, libera non erat. Inde *Tribunal dominorum quinque Judicum Appellationum* constitutum est, ad quod a Rectoris sententia provocari poterat.

Hoc tribunal electione constituebatur; singulæ facultates, quocumque die semestri comitorum novi designandi Rectoris unum ex iudicibus nominabant, unde rursus Universitatis ipsius summa se administrandi regendique auctori-

(1) Cf. Molan., II, Suppl., Append. I, 902.

(2) Ibid. p. 903.

(3) Cf. Molan., II, Append. I, p. 898, 899; Valer. Andr., p. 54; Vernul., 56, s.

tas emicabat. Judices qui jurisperiti non erant, assessorem jurisconsultum sibi assumebant, vel saltem jurisconsultos consulebant.

Inter hos Judices unus per ceteros eligebatur, isque jurisperitus, coram quo lites omnes agebantur et instruebantur, et qui ipse decernebat quæ in causæ decursu ad jus promovendum decernenda essent; ubi vero definitionem intercedere necesse erat, collegas convocare debebat; qui quidem, vel major pars eorum, de re decernebant.

In articulo saltem correctionis vel sententiæ statuti pœnalis assessor vel Rector, si is assessore usus non fuerat, adhiberi debebat; immo Valerius Andreas generaliter de Rectoris præsentia, qui sententiam suam justificaret, loquitur.

Qui temere appellasse declarabatur a Rectoris sententia, multæ obnoxius erat.

Ab ipsa hujus Tribunalis sententia non erat nisi ad Sedem Apostolicam ejusve Nuntium in Belgio appellatio.

Antiquissimæ porro institutionis hoc tribunal erat, quod “ ab ipsis, “ ait Vernulæus, “ Academiæ initiis, si Annalibus “ sit fides, usus duobus jam seculis confirmavit. ”

§ 5. *Qui pro veris Universitatis suppositis sint habiti.*

Magnæ reveræ et eximiæ auctoritatis dignitatisque magistratus et corpora Universitati illiusque membris moderandis, vendicandis, judicandis præpositi erant. Sed, ut institutorum nostrorum secundum Ecclesiæ rerumque publicarum vere christianarum mentem et voluntatem constitutio recte cognoscatur, populus sub Universitatis legibus ac regimine positus privilegiisque Universitatis gaudens quisnam fuerit conspiciendum est.



Eum autem nobis exhibent, quæ, sub numeris XXV-XLI, statuuntur vel potius sanciantur in actu solemnæ Visitationis, auctoritate Apostolica ex mandato Archiducum Alberti et Isabellæ de Universitate Lovaniensi factæ et postmodum a Paulo V, P. M. approbatæ. Colligere autem licebit ex quibusdam conditionibus et stipulationibus, quanti Universitas decorem suum honoremque fecerit. Rem nostram tradit titulus : *Qui pro veris Universitatis suppositis sint habendi.*

“ XXV. Ut autem omnibus constare possit, qui pro veris dictæ Universitatis suppositis haberi debeant, decernimus, mandamus, atque præcipimus, ut pro veris dictæ Universitatis suppositis subsequentes habeantur et non alii.

XXVI. Primo, omnes doctores et licentiati superiorum Facultatum.

XXVII. Secundo, earumdem superiorum Facultatum baccalaurei, ac artium doctores, quos biredatos vocant, studia sua prosequentes : verum si studia sua non prosequantur, et ea exerceant, quæ literariæ professioni sunt contraria, vel deveniant mercatores, caupones, sive tabernas tenentes, cerevisiamque indifferenter tam suppositis quam non suppositis vendentes, et aliorum quam verorum suppositorum Universitatis receptores, pagorum prætores, vel aliquorum sæcularium dominorum balivi, drossardi vel officiales, gladii jus exercentes vel non exercentes, inter Universitatis supposita non censebuntur.

XXVIII. Si autem prædicti graduati in suo quiescant gradu, et nullas mercaturas exerceant, etiamsi commensales actu studentes alant, inter Universitatis tamen vera supposita numerabuntur.

XXIX. Porro, sicut illi qui in ministerio sunt Universitatis, etiamsi nec studeant, nec ullum gradum habeant, censentur de corpore Universitatis, ejusque privilegiis fruun-

tur et gaudent; ita vice versa, quicumque sunt in magistratu vel servitio permanenti civitatis, quam dudum in eo sunt, etiamsi graduati sint, censebuntur imposterum de corpore civitatis, et sæculari jurisdictioni subjecti.

XXX. Verum licentiati superiorum Facultatum, qui modo sunt in aliquo stabili officio vel ministerio civitatis, ii permanent ad vitam in possessione privilegiorum Universitatis et inter vera supposita censebuntur.

XXXI. Tertio, pro veris suppositis habebuntur omnes scholares, intitulati, et actu studentes scholasque frequentantes.

XXXII. Quarto, omnia monasteria Universitati incorporata, in quibus viget studium.

XXXIII. Quinto omnes viduæ doctorum et licentiarum superiorum Facultatum, quam dudum in sua maneant viduitate, et conditionem qualitatemque suam non immutant, nec ulla exercent commercia.

XXXIV. Sexto, omnes veri et jurati impressores, venditores et compactores librorum, ab Universitate admissi et approbati, nulla sæcularia commercia per se exercentes.

XXXV. Septimo, bedelli quinque Facultatum sub restrictione articulo præcedenti posita.

XXXVI. Octavo, notarii, procuratores, janitores, sive executores tribunalium Rectoris et Conservatoris dictæ nostræ Universitatis, debite ad hoc admissi et approbati, et nulla sæcularia commercia prout supra, exercentes.

XXXVII. Nono, ad unamquamque provinciam nuntius unus sub conditione supra posita.

XXXVIII. Decimo, pro unoquoque collegio receptor unus, qui per se et non alios istud officium exequetur, et sub conditionibus supra scriptis.

XXXIX. Si quis autem aliis suis sæcularibus officiis, vel

receptoriiis, unde præcipuum suum quæstum facit, alicujus collegii receptionem adjungat, inter Universitatis supposita non censebitur, quorum tamen numero comprehendetur eujuscumque exigui collegii receptor, aliis sæcularibus receptoriiis vel officiis non implicatus.

XL. Undecimo, verorum suppositorum ministri et ancillæ actu ipsis cohabitantes, famulantes et conviventes, nullam exercentes mercaturam.

XLI. Hos omnes et solos declaramus pro veris Universitatis suppositis habendos et indicandos, alios omnes a suppositorum Universitatis numero resecentes. "

### III.

#### DE FACULTATIBUS.

Quinque facultatibus instructa, institutisque prædita, quibus litterarum potius principiis adolescentuli ætatis inferioris imbuerentur, Universitas Lovaniensis totum scientiæ ordinem complectebatur.

Fere autem ab initio fuit ea Universitatis illius constitutio; nam sex annis ab ipsius fundatione nondum elapsis theologiæ, eousque desiderata, Facultate auctam vidimus. Atque ita Universitas Lovaniensis desursum descendens potius quam sensim ac paullatim ex discipulorum circa unum paucosve prius magistros congregatorum crescentibus tum numero tum necessitatibus conformata, magistrorum quoque sua constitutione universitatem illam juris civilis potius (1) exhibuit quam scholarium; magistri veluti primi occupaverant, neque ipsorum esse possessio desiit. Qui quidem status, quamquam minus præ se fert primam Univer-

(1) Cf. p. 17.

sitatum originem, docendi tamèn discendique rationibus longe magis conferre videtur.

Inde vero illa in *Nationes* divisio quæ in plurimis Italiae ac Galliae aliisque Universitatibus, a scholarium magis quam a doctrinae rationibus proficiscens, totam fere instituti normam et indolem informabat, Lovanii nonnisi exigui erat ponderis.

Quamlibet Facultatem certo disciplinarum generi destinatum esse neminem latet. Inter ejusmodi igitur disciplinas, quæ unius Facultatis ambitu continentur, aliquod ex rerum natura exurgens vinculum subsistit, quo earum nulla aliarum rationibus vel vicibus aliena est, et quo illæ pro propria indole suos quoque magistros arctius inter se sociare nituntur. Ultra has continuas necessitates, alia per temporum diversitatem vel per magistrorum vel discipulorum varia commoda aut indigentias induci possunt. Sed neque prætereundum summum singularum Facultatum esse negotium ut intra proprium ambitum id præsent, cui præstando Universitates constituuntur: nempe ad doctrinae fastigium homines evehant, ita quidem ut docendo ipsi pares tandem solemnè pronuntientur iudicio. Hinc Facultatum, ut corporum, auctoritas.

Hæc varia quibus Facultatum amplitudo efficiebatur momenta, variam quoque ipsarum jurium et officiorum speciem inducebant, ad totam aliis Universitatem se referentibus, aliis ad interna solum Facultatis uniuscujusque negotia, eaque et ipsa sub diversis rationibus consideranda.

Quod attinet ad Facultatum in totam Universitatem jura et obsequia, ipsæ recte dici possunt veluti juris fuisse elementa, ex quibus coalescebat totius Universitatis constitutio, Universitatisque fere singula vel munia vel corpora vim suam hauriebant. Verum quidem est neque Cancellarium, neque Judicem Conservatorem privilegiorum electioni Facul-

tatum earumve deputatorum subjectos fuisse. Sed pro Cancellario hoc inde sequebatur, quod ipsius munus circa ejusmodi momentum versabatur, in quo omnis auctoritas visque statuendi atque definiendi ut Sedi Apostolicæ omnino propria agnita erat : in conferendo videlicet jure docendi hic et ubique. Ceterum, missa etiam supra memorata controversia de doctoratus gradu in theologiæ et artium Facultatibus (1), circa universum hoc negotium vere Apostolicum exsequendum Facultatibus maxima potestas facta conspicitur. Alii quidem aliter rem ordinantibus, omnibus tamen jus compete-  
 bat examinandi graduum candidatos, Cancellario pro ipsa gradus collatione et « benedictione » Apostolica præsentandos.

Conservator autem privilegiorum constitutus erat, qui hinc quidem Universitati in tuendis ipsius juribus et privilegiis robur adderet et vim efficacem, inde vero jus in extraneos quoque, qui cum Universitatis aliquo membro litem haberent, dicere posset. Ipse ergo robur et jus suum ex Universitatis ipso fonte haurire non poterat : manabant ista in eum ex Sede Apostolica.

Cetera autem munia, quæ vel juri tuendo, vel bonis pecuniisque recipiendis, custodiendis, exsolvendis, actibus conscribendis servandisve, arcendæ petulantiae et delictis reprimendis, juvandis Universitatis et corporum ejus vel officiorum functionibus destinabantur, quotquot erant, fere omnia ex Facultatibus vel in congregatione Universitatis simul omnes convenientium, vel per *turnum*, ut dicebatur, id juris exercentium, electione constituebantur (2). Eo autem amplior tunc temporis erat hæc auctoritas, quo amplioribus

(1) Cf. p. 87 s.

(2) Vid. ex. gr. sup. p. 93 s.

juribus Universitates, ut sui fere solius juris corpora, eminebant.

Varii hi magistratus Universitati per omnium Facultatum conventum congregatæ certis temporibus rationum obnoxii erant; unde non in conferendo solum munere sed et in tuenda bona proficuaque ipsius administratione horum corporum in tuto reposita erat auctoritas.

Si jam ab administrandis negotiis ad ipsam tum consiliorum præbendorum, tum legum ferendarum, tum rerum quotidianarum expediendarum auctoritatem oculos convertamus, profecto, quo Facultatum decretorium pondus in Universitatis totum corpus perspiciatur, memoriam revocasse satis erit eorum, quæ de Universitatis congregatione (1), de Consilio Rectoris (2) et de Tribunali quinque Judicum Appellationum (3) disserentes tradidimus.

Ultimum utrumque institutum membra a singulis Facultatibus electa constituebant; ad primum vero quod spectat, Facultatum momentum eo luculentius inde exsurgit, quod in congregatione non promiscue ac viritim statuenda decernebantur, sed quum in cœtu communi communicata fuissent, ab unaquaque Facultate seorsim in judicii decretique partes trahebantur; earum vero singulæ, quicumque esset membrorum numerus, nonnisi ut Facultas considerarentur; suffragio scilicet uno per deputatum suum coram Rectore exprimendo singulæ gaudebant.

Ejusmodi varia tantique ponderis jura mentem ad illa revocant, quæ de Universitate Lovaniensi disserens Vernulæus statuerat: « Forma Academiæ hujus mixta est, » et recte monarchiam aristocratica ratione temperatam

(1) Cf. p. 95 ss.

(2) Cf. p. 97 ss.

(3) Cf. p. 99 s.

» dixero (1). » Si enim ipsa Facultatum constitutio, prout Lovanii vigeat, attendatur, vim illam auctoritatemque maximam quibus ista corpora pollere vidimus, non in manibus omnium, qui tamen sensu quodam lato Facultati annumerabantur, sed aliquot veluti optimatum collocatam invenimus. Ne sermo quidem nobis hic est de illa in *Nationes* et secundum ipsas divisione, juxta quam in plurimis Italiae, Galliae et Hispaniae Universitatibus omnia a scholaribus (2) et procedebant et agebantur. Sed Facultates ipsae, quaedam saltem, Lovanienses, certum faciendum delectum certasque conditiones in aliis Universitatibus non semper statutas sanxerant. Intra singulas praeterea Facultates consilium aliquod arctius habebatur, multis non levis momenti negotiis tractandis destinatum, neque prorsus libere a ceteris membris constitutum.

Theologiae quidem Facultas omnes Theologiae doctores admittebat. Ipsa tamen quaedam inferiori Theologiae gradui adipiscendo praestituta conditio limitem haud spernendum hic sanciebat, illa nimirum qua baccalaureatus in S. Theologia, nisi de Religiosis (3) ageretur, illis qui artium magisterium non obtinuerant praecludebatur. In utraque quidem jurium Facultate et licentiati ad concilium admittebantur, dummodo Lovanii licentiae gradum obtinuissent. Sed in Facultate Artium, praeter aliquot quos dicerem magistratus, ad concilium regulariter non admittebantur nisi sex jam annorum *biretati*, id est doctoris bireto donati. Immo horum ipse numerus limitatus erat, et ita quidem ut admissio doctorum a Facultate penderet : prohibitum enim erat, quominus

(1) *Acad. Lovan.*, p. 9.

(2) Magnam tamen partem longe provectoris aetatis, conditionisque vel publicae vel privatae absque ulla comparatione absolutioris quam nostrarum Universitatum studiosa juvenus.

(3) Pro Religiosis requirebantur certa superiorum testimonia.

in concilio plures quam quadraginta octo doctores essent , quorum viginti quatuor ex quatuor pædagogis , alterius vero mediæ partis designatio ex delectu qualitatumque ponderatione , a concilio faciendis , locum haberet.

Singulæ itaque Facultates habebant Collegium aliquod strictius , illis veluti præstitutum , et negotia quæ concilii coactionem vel ordinariam vel extraordinariam natura sua non postulabant ordinans. Membrorum hujus consilii , Collegium quoque sæpe vocati , varius pro variis Facultatibus erat numerus. Conditions requisitæ vel temporis vel dignitatis , licet non eadem ubique , ubique tamen tum singulorum membrorum exindeque totius collegii gravitatem , tum etiam , si locus esset , diversorum corporum institutorumque , quibus magnam partem Universitas constituebatur , rationes pro æquitate respiciebat. Theologiæ Facultatis secretum consilium illud octo doctoribus constabat ; juris autem Facultates ambæ , licet distincta corpora , non habebant nisi unum idemque secretius collegium , idque non pluribus quam decem membris consistere debebat. Medicæ Facultatis collegium quatuor ipsius capiebat ordinarios professores ; Artium consilii minoris membra vel deputatos ordinarios legimus fuisse quatuor procuratores nationum , cum decano , receptore (1) et quatuor gymnasiarchis seu regentibus pædagogiorum. Hic decanus præerat ; collegium utriusque Juris Priorem trimestrem sibi eligebat ; Prior collegii medici , semestris , per ordinem a quatuor ordinariis professoribus , hujusce collegii membris , constituebatur. — De collegio Facultatis Theologiæ notandum est , illud membra sua et

(1) Is pecuniarum recipiendarum curam habebat. Universitati quidem suus quoque receptor erat , hoc autem singularum Facultatum receptoris proprii munus horum institutorum propriam corporisque fere liberi rationem exhibet.



quidem ex doctoribus docentibus vel non docentibus, ipsum elegisse; numerum quoque octonarium transgredi poterat, ea tamen lege, ne plures quam octo emolumenta membris hujus collegii præstita participarent.

Hæc itaque *Consilia stricta* certa quadam intra Facultatem regendi auctoritate gaudebant, et, variis tamen secundum variarum Facultatum indolem et necessitates, juribus potiebantur.

Nobilissimum autem consiliorum strictorum munus hoc dixerim, quo examina gradibus academicis adipiscendis prævia horumque veluti limen, ab ipsis potissimum habebantur, ita quidem ut ex illorum fere judicio ejusmodi honorum et jurium, quæ summum studiorum doctorumque laborum præmium constituunt, adeptio penderet.

Quod quidem consiliorum strictorum jus Universitatem Lovaniensem tempore ejusmodi institutorum jam maturiori enatam ostendit. Vi enim propria ac veluti nativa doctoratus quum absolutæ in singulis scientiis adeptæ peritiæ argumentum esse censeretur, simul cum docendi illas jure auctoritatem præstabat judicandi de aliorum, qui illud adipisci vellent, sufficienti doctrina et aptitudine. Temporibus vero decursu in plurimis Universitatibus ex aucto jam maxime promotorum doctorum numero atque, si de magnis saltem civitatibus ageretur, intra ipsas frequenti, aliquod strictius in sinu singularum Facultatum *promovendi* Collegium erigere placuit, ne disciplinarum judicium partesque illorum essent, quorum cum disciplinis poterat valde oblitteratum esse commercium, rationesque ab Universitatis et scientiæ rationibus valde diversæ.

Missis jam consiliis strictis, ipsarum Facultatum corpus propius consideremus.

Quæ membra Facultatum fuerint dictum est. Caput vero

Facultatis erat Decanus, ab ipsa Facultate, neque semel solum in anno, electus, vir qui doctrina indolisque præstantia polleret, tuendis tam Facultatis quam Universitatis juribus aptus; deputatus inde *ordinarius* Facultatis tam ad Rectoris consilium quam pro ceteris generalis momenti negotiis; cogens Facultatem suo vel etiam membrorum Facultatis, immo in Facultate theologica unius magistri, arbitrio.

Pro ipso Decano ut et pro aliis Facultatis Artium dignitatibus vim exserebat illa quam innuimus, Lovanii minoris ac alibi ponderis, in *Nationes* divisio. Quatuor quippe hujus Facultatis nationes erant constitutæ, Brabantiae, Galliae, Flandriae, Hollandiae, ordinatumque erat ut Brabantiae nationi omnes accenserentur qui ad nullius aliarum territorium origine pertinerent. Hæc quidem divisio magnum momentum inde hauriebat, quod statutum erat eum qui ad totius Facultatis dignitates eligendus erat, per ordinem alternum e singulis nationibus assumptum iri. Porro singulæ nationes propriam sibi statis temporibus nominabant procuratorem, in ipsarum sinu veluti Decani cujusdam inferioris munere fungentem, ipsaque die qua Decanus ab ipsis electum. Procuratores vero hi nationem quisque suam quando et quoties opus fuisset cogere poterant. In deliberationibus totius tum Universitatis tum Facultatis omnia nationum membra sub vel coram Decano Facultatis simul deliberabant. Rector tamen ex Artium Facultate assumendus absque nationum respectu eligebatur. Procuratorum nationum dignitas exinde majus assumebat pondus, quod cum quatuor pædagogorum capitibus, decano et receptore consilium Facultatis strictius efficerent. Præterea ordo personarum sive officiorum, potissimum in pædagogis, perpetuo servandus juxta nationes describebatur.

Facultatum interna auctoritas potestasque circa res gravissimi ponderis versabatur. Ipsæ sua statuta decernebant; in quibus omnia fere quæ finem ipsarum ipsarumque efficientiam spectabant ordinabantur.

Disciplinas in singulis Facultatibus publici professores tradebant, in quorum perficienda nominatione et principis et civitatis et Universitatis variæ partes erant. Locum autem non exiguum Lovanii obtinebant collegia et pædagogia, in quibus sæpe certi professores aut regentes secundum fundatorum leges constituebantur. Universim tamen debebant tam domorum illarum incolis quam aliis Universitatis scholaribus publici magistri liberum et vere publicum accessum præbere, nisi scholares ipsi libertati propriæ limites posuissent.

Publicorum magistrorum alii habebantur *ordinarii*, *extraordinarii* alii, vel etiam *seniores* et *juniores*, illique tum certo honoris juriumque, tum commodorum gradu distincti.

Circa religiosos, quos ex diversis ordinibus frequenter in suis cathedris vetus Universitas Lovaniensis collocabat, quæ statuta fuerint, quando de collegiis eorum in Universitatis corpus receptis sermo erit, videbimus.

Publicis igitur prælectionibus scholarium commodis cavebatur. Sed, aliquibus quidem positis conditionibus, præsertim de non legendo horis quæ damnum publicis professoribus inferre potuissent, universum illud doctorum in aliquo Studio generali a Sede Apostolica erecto vel confirmato renuntiatorum, dummodo pro rigore examinis ad illum apicem pervenissent, ubique legendi jus Lovanii quoque agnoscebatur. Quoâd libertatem scholarium hanc theologicæ saltem Facultatis statuta illis conditionem præscribebant, ne doctorem a se in regentem electum, alio assumpto, desererent.

Publicis professoribus ejusmodi materiarum horarumque

ordo præfixus erat, qui absolvendum sineret per certum aliquod tempus studiorum curriculum. Moræ uniuscujusque gradus academici adipiscendi ex singularum Facultatum auctoritate statutæ erant, infra quas ad illos ascendere absque speciali licentia non prostabat.

Gradus autem ordinarii erant baccalaureatus, licentia, doctoratus. In Facultate Artium illos gradus adipiscendos præcedebat alius quidam publicus actus, *determinantiæ* vocatus: „in eo,“ inquit Vernulæus, „singuli juvenes Logicæ „ studiosi in celebri totius Academiae consessu de quæstione „ aliqua Ethica, quam præses professorum aliquis proponit, sententiam suam dicunt (1).“ — Philosophiæ cursus duos annos complectebatur. Baccalaureatus duplex ibi habebatur: post trimestre in Physica studium adipiscendus alter, alter absoluto Metaphysices et universæ philosophiæ studio. Licentiatos creandi modo in Artibus Lovanii hoc quoque omnino proprium erat, quod exinde, comparatione inter cunctos instituta, celeberrime ille Primus, quem dicebant, exsurgebat. Ceterum in Artium Facultate litterarum quoque studia florebant illisque præcipue devovebatur præclarum illud Trilingue seu Buslidianum (2) collegium. Medicæ Facultatis studia triennio debebant posse absolvi; baccalaureatus sesquianno; habebatur porro in Facultate collegium unum baccalaureorum, in quo unus decanus et fiscus. Juris civilis et juris ecclesiastici prælectiones ita distribuebantur, ut licentia alterutrius juris post tres, utriusque vero post quatuor annos obtineri posset; sæpe sæpius tamen plures anni his studiis videntur fuisse impensi. Eadem duarum

(1) *Acad. Lov.*, p. 60. Cf. tamen Molan., Append. I, *Stat. Fac. Art.*, p. 1098, ubi etiam de privatis determinantiæ actibus non solemnibus, habendis tamen in publica schola, statuitur.

(2) Ab auctore Hieronymo Busleiden sic nuncupatum.

licet distinctarum Facultatum necessitudo nedum e communi quoque illo quod illi præerat strictiori collegio, sed et ex modo ordinandi disputationes per turnum elucet, ita quidem ut, quum tres essent « cæsarii, » una statueretur Pontificii juris. Baccalaureatus in utroque jure nisi expleto sesquianno appeti non poterat. Vetitum autem erat ne quis absque licentia Prioris et Facultatis privatim legeret. Sicut medicæ Facultatis, ita baccalaurei juris utriusque collegium habebant cum decano et fisco; omnibus his jam alias memoratis baccalaureorum collegiis exercitia quædam erant et disputationes scientiæ illiusque usui promovendis perquam apta.

In theologica Facultate vidimus prohibitionem factam ne quis baccalaureus renuntiaretur, nisi vel Artium magister vel religiosus. Tria porro baccalaureorum genera erant. *Baccalaurei cursores* (1) debebant, antequam hoc gradu potirentur, per tres annos theologiæ lectiones ordinarias et publicas disputationes in scholis audisse, aliaque quædam præstitisse, ex quibus præcipue colligi posset, candidatum tota Biblia cum Summa D. Thomæ diligenter legisse; præsentabantur hi magistrorum collegio per magistrum ab ipsis libere electum, sæculares quidem per secularem, regulares vero per regularem. Ut ad sequentem actum procedere posset, debebat baccalaureus cursor librum aliquem veteris aut novi Testamenti, manu sua scriptum et ex probatis auctoribus diligenter commentatum, decano et collegio congregatis præsentare, et tum lectiones ordinarias, tum disputationes diligenter visitare. His peractis, secundoque superato ten-

(1) *Cursores* dicti, vel quia statum exercitorum cursum absolverant, vel quia sub alicujus magistri ductu ad cursum aliquem de libris S. Scripturæ vel theologicum faciendum admittebantur. Cf. du Cange, *Glossar. med. et infim. Lat.*, verbo *cursor*, Häusle, l. c., alios.

tamine, renuntiari jam poterat *Baccalaureus sententiarium*, ad lecturam nempe Sententiarum admitti. Baccalaurei vero sententiarum postea ad *Baccalaurei formati* gradum evehebantur: ad hoc vero requirebatur ut continue in loco studii privilegiati, ubi vigeret studium theologiæ, primum et secundum Sententiarum libros inchoassent proprioque labore absolvisent, et ad tonsuram clericalem promoti fuissent, priusquam vero *tertium principium*, nempe initium explicandi tertium Sententiarum librum, fecissent, baccalaurei formati censi non poterant.

Ad licentiam tres novi anni requirebantur, tum audiendo lectiones et argumentando in disputationibus, tum tertium et quartum Sententiarum complendo occupati.

Si de temporis spatio quæras, „ curriculum Theologico bravo destinatum, „ inquit Vernulæus, „ septennii hodie est, olim decenni (1). „

Studia autem in variis Facultatibus, prout ex dictis jam colligi potuit, variis multiplicibusque disputationibus similibusque exercitationibus promoveri, eorumque labor vividus jucundusque curabatur. Frequentes quoque fiebant circa illa quæ magistri docuerant ab ipsis interrogationes sive examina. Intimæ ex disciplinis haustæ magistrorum scholariumque vicissitudines obtinebant. Illis vero fovendis ampliandisque non parum inserviebant collegia, quotidiani vere ac prope communis vitæ usus inter professores et discipulos instrumenta.

(1) *Acad. Lov.*, p. 44.

## IV.

DE CONDITIOE SCHOLARIUM, DE COLLEGIIS ORDINARIIS, ET DE RELIGIOSIS  
ET CANONICORUM COLLEGIIS UNIVERSITATI UNITIS (1).

Scholarium Lovaniensis sicut omnium fere Universitatum duplex erat degendi vivendique forma : aliis passim civitatem domosque privatas habitantibus, aliis receptis in pædagogia et collegia, subque eorum lege constitutis. His accedunt considerandi scholares regulares illorum Ordinum quorum conventus Lovanienses in Universitatis corpus quoad jura et privilegia recepti erant.

Quæ ad primam studentium classem ordinandam sancita erant, reliquos quoque, servatis servandis, attingebant, legemque constituebant quasi communem scholaribus.

Quicumque studiorum gratia Lovanium accedebat, intra quindenam debebat intitulari et in Universitatis matriculam inscribi (2), ante inscriptionem vero debebant in manibus Rectoris quatuor juramenta præstare, quorum tria priora in antiquissimis codicibus reperiuntur, quartum autem tempus quo introductum fuit præ se fert :

“ Primo, juro quod observabo jura, privilegia, libertates, statuta, ordinationes et consuetudines laudabiles Universitatis studii Lovaniensis ad quemcumque statum devenero; neque laborabo scienter in aliquo, quod in præjudicium eorumdem possit redundare. ”

“ Secundo, quod observabo pacem, tranquillitatem et

(1) V. AA. laud. passim; præsertim vero Molan., t. II, App. *Vet. Stat.*, Valer. Andr. et Vernul. in illis quæ tradunt occasione pædagogiorum et collegiorum, Vernul. quoque libri II, capite XI, p. 85-88.

(2) Exceptis illis, qui in aliquo quatuor pædagogiorum Artium studio incumbabant, pro quibus mora usque ad finem Rectoratus qui tunc erat protrahebatur.

concordiam dicti studii in se, suis facultatibus et membris, sub regimine et obedientia unius Rectoris. »

« Tertio, quod Universitati et ejus Rectori pro tempore existenti in licitis et honestis parebo, ac debitum honorem illi impendam. »

« Item juro me ex animo detestari universa dogmata Martini Lutheri et aliorum quorumlibet hæreticorum, quatenus doctrinis veteris et Catholicæ ac Romanæ Ecclesiæ adversantur; et sequi velle ac retinere fidem veterem prætractæ ecclesiæ, sub obedientia unius summi Pastoris Romani Pontificis. »

Quartum vero ejusmodi juramentum eo luculentius religiosissimum devotissimumque in Ecclesiam Universitatis animum ostendit, quod illud ipsa etiam cum multorum Germanorum resistentium discessu retinendum sanxerit. Postea nedum professoribus et ad gradum academicum promovendis, sed cunctis in ipsius matricula inscribendis, addendi professionem fidei a Pio IV, primis solum jure præscriptam, necessitatem Universitas injunxit.

His de recta Fide cautum erat, morumque honestorum prævia quædam spes erat. In hujus spei subsidium non parum conferebant tum ipsius Rectoris absoluta in scholares delinquentes vel male moratos jurisdictio, tum promotoris auctoritas (1).

Non pauci eorum qui studiis Lovanii incumbabant, in collegiis (2) vitam agebant. Hæc autem collegia, fere ab ipsius Universitatis Lovaniensis origine instituta, sensim

(1) De variis quibus studiorum assiduitati honestisque moribus consulebatur legibus ac statutis vid. Vernulæum, Valerium Andream, et antiqua statuta apud Molanum.

(2) V. Mol., I, 622 sqq., II, App. *Ant. Stat.* 1153 sqq.; Val. Andr., 231 sqq.; Vernul., 65 sqq., 77 sqq., 110 sqq.



sine sensu quadraginta tria numero exstiterunt. Erant autem domus quæ certis aliquibus Scholaribus sub certa quadam disciplina constituendis tectum et victum præstabant. Pauperibus universim destinabantur; sed et pius in suos, patriam, patriumve locum animus causam fundandi vel amplificandi sæpe præbebat. Aliquando etiam patebant ditioribus pretia solventibus.

*Bursæ* porro sæpe collegiis ab aliis annectebantur, stipendia nempe annua, seu certi proventus studiosis, secundum regulam a fundatoribus præscriptam eligendis, præbenda. Horum collegiorum alia recipiendis tantum et sub certa disciplina fovendis scholaribus destinabantur, dum alia scientiarum magistris qui scholas regebant instructa erant, alia tandem religiosorum quorundam ordinum erant extra Lovanium constitutorum, sed ibi suis scholaribus, Almæ Lovaniensis Matris lacte nutriendis, domos proprias seu collegia erigentium.

Alia quoque collegiorum divisio prostat, secundum ordinem facultatum quarum studiis ipsorum incolæ vacarent. Sed si maximam partem peculiaribus Facultatibus addictis peculiariora quoque collegia patebant, alia tamen, *miscella* dicta, a plurium studiosis obtinebantur.

Aliam fuisse collegiorum ubi disciplinæ simul tradebantur, aliam illorum conditionem ubi potius honestum religiosumque aliquod diversorium scholaribus præbebatur, rerum naturæ est. Exercitia tamen disputationesque disciplinarum neque a collegiis posterioris generis præcludebantur.

Collegia in quibus disciplinæ aliquæ docebantur, *Pædagogiorum* nomen nanciscebantur; eorum præcipua Facultas Artium obtinebat. In hac autem præfulgebant ceteris quatuor quidem philosophica, unum vero literarum, illud

nempe trilingue cujus supra mentio erat. Quatuor illa priora : *Castri, Porci, Falconis, Lili*, mox notam præ se tulerunt fere publicam, non docendi solum, sed et in Facultate Artium auctoritatis. Quum enim initio singulus fere Artium magister in domo sua vel in publica Artium schola profiteretur, talis vero lectionum promiscua multitudo parum juventutis bono conducere videretur, Facultatis decreto sancitum est, ne publicæ philosophicæ prælectiones, præterquam duæ in publica schola Artium, in aliis quam in istis quatuor domibus fierent, quæ sic suæ Facultatis veræ publicæ scholæ evaserunt. Præterea vidimus quatuor horum «gymnasiarchas» membra fuisse consilii minoris Facultatis suæ (1). Quæ quum ita ordinata fuissent, majorem jam Facultatis sollicitudinem hæc pædagogia provocare debuerunt, unde his communis quædam interior disciplina præstituta fuit.

Atque hæc de collegiis ordinariis sufficiunt; jam peculiariter quædam delibanda sunt de Religiosis et Canonicorum collegiis.

Omnium fere celebriorumque Catholicarum Universitatum more, antiqua Universitas Lovaniensis cum religiosis Ordinibus multiplices vices habebat. Horum satis amplus numerus Lovanii consederat, vel ante vel post erectam Universitatem, hujusque præclari instituti splendor, commodaque doctrinæ ac privilegiorum participandorum ad plurimum talis sedis eligendæ consilium non parum contulerant.

Inter domos autem religiosas quæ hoc studiorum privilegiorumque vinculo cum Universitate connectebantur, quædam arctiores cum ipsa necessitates habuerunt. Jam si primos professores qui Lovanii theologiæ studiis initia fece-

(1) Cf. p. 108.

runt consideraveris, et seculares et regulares amico fœdere ibi sociatos repereris : cum prioris conditionis doctoribus, magistris Ordinum Augustiniensium, Fratrum Prædicatorum, Franciscanorum, Carmelitarum. Mox ultra progressum est. Anno 1447 cum Mendicantibus de illorum Lovanii existentium cœnobiorum cum Universitate unione certis quibusdam stipulationibus et pactionibus conventum est. Præcipuis vero clausulis statuebatur : quod omnes et singuli Religiosi talium cœnobiorum respective tenerentur nomen suum dare Universitati, inscriptione facta in ipsius matricula et præstare juramenta ad hoc solita ; duo vero vel saltem unus ex quolibet conventu continuo visitaret lectiones in facultate Theologica secundum statuta Universitatis ; quod autem hoc mediante omnes de claustro censerentur tamquam studentes et supposita, gauderentque privilegiis et libertatibus Universitatis ; hæc immo Ordinem seu conventum sic incorporatum in causis civilibus et personalibus, dummodo ad Ordinem in se non spectarent, deberet tueri ac defendere, de eisque cognoscere ; unde vicissim ad collectas seu bursas communes quas, rebus magni momenti postulantis, Universitas ordinare poterat, singuli ejusmodi conventus solverent duas bursas qualesolvere solebant supposita ordinaria mediæ conditionis. Statis autem et solemnibus Missis communibus per Universitatem celebrandis duo semper e quolibet claustro interesse debebant.

Cathedris theologiæ sæpe regulares insedebant, hac tamen lege, ne ex eodem Ordine religioso duo neque ut regentes neque ut membra stricti collegii Facultatis theologiæ admitterentur, nisi ex gravissima causa, et si talis exceptio fieret, pro uno solum, ea vice, Ordine ; præterea regularium, vel in Facultate regentium, vel stricti collegii

membrorum numerus secularium numerum excedere non poterat. Quanta vero sollicitudine et benevolentia Universitas Religiosis suis membris providerit, luculentius effici non posse credimus, quam ex ipsorum veterum statutorum ab Ill. de Ram (1) communicatorum sequenti loco : « In qua » admissione » (ad collegium strictum facultatis theologicæ) « volumus haberi rationem... similiter religiosorum ejus » ordinis in quo viget studium theologiæ, ad eum finem, » ut studiosi illius ordinis aliquem sui ordinis magistrum » habeant qui eos utiliter in suis responsionibus dirigat » et eorum actibus præsit. »

Rector autem ex Regularibus assumi non poterat.

Canonicorum quoque collegiorum quorundam unio cum Universitate facta fuit. Hæc erant duo collegia ecclesiarum S. Petri et S. Jacobi Lovanii. Nonnulli ex Pontificis Romani concessionem harum ecclesiarum canonicatus certis Universitatis cathedris ipsarum quoque Facultatum non sacrarum destinati erant; ita quidem ut professores qui hos obtinerent, absque suscipiendi sacros Ordines obligatione, gauderent tamen iisdem privilegiis et juribus, quibus ipsi antiqui canonici. Æquum exinde visum est, et ipsa collegia in Universitatis sinum subque ipsius jurium et privilegiorum tutelam recipere.

(1) L. c. Suppl. ad Mol.

CAPUT V.

QUODNAM PROPRIE INTER VARIA UNIVERSITATUM GENERA  
INTERCEDAT DISCRIMEN.

Exemplum antiquæ Lovaniensis Universitatis in capite præcedenti allatum, tum hujusmodi institutorum in republica Christiana juxta mentem Ecclesiæ dispositorum constitutionem exhibuit, tum qualia fuerint in ipsa Ecclesiæ auctoritas ac benevolentia, et qualis instituti ipsius libertas demonstravit.

Ut privilegiis variis maximique ponderis Ecclesia institutum Lovaniense cumulavit, ita animum fidissimum in Ecclesiam et Religionem Catholicam Alma Mater Lovaniensis indesinenter comprobavit. Intimus ille inter Ecclesiam et Universitatem nexus luculenter inde emergit, matris sane et filia. Imaginem denique ipsius complent vices quas amicissimas cum republica habebat : principes varique magistratus vel privilegiis concessis vel commodis quanti illam facerent assiduo ostenderunt; ex parte autem sua Universitas tum de republica tum de ipso oppido, non studiorum tantum disciplinarumque collatis donis, sed et opem ferens in arduis ipsorum negotiis atque immo in belli periculis opportunam, optime meruit.

Talis autem indoles revera erat antiquis Universitatibus fere communis, atque res ferme universa a Sedis Apostolicæ auctoritate et cura manabat.

In memoriam hic revocamus bullam foundationis Universitatis Lovaniensis et edictum *Inchoationis* Joannis IV Ducis Brabantia. Eo vel luculentius hæc documenta auctoritatem

illam Sedis Apostolicæ agnitam demonstrant, quod temporum ipsa erant quibus hanc auctoritatem, non in Universitates solum sed et in Ecclesiam per schisma infaustum ac recens, per memoriam etiam satis recentem temporum angustiarumque Avenionensium, multi Ecclesiæ adversarii, quorum aliquos mox obviam habebimus, labefactatam fuisse, jactant. Quinimo Universitatibus earumque doctoribus non minimas in tristibus hujusmodi eventibus partes tribuunt, dicentes Universitates reclamantes convocationem Concilii Œcumenici, abdicationem Pontificum, et majorem Concilii quam Pontificis auctoritatem propugnantes, in discussionis litem Ecclesiæ res et rationes vocantes cœcam auctoritatis fidem maxime labefactasse, humanique ingenii libertatem ab abjecta ut censent submissione vendicantes, viam stravisse puræ isti rationis libertatisque evangelicæ luci quam Reformatio sic dicta seculi XVI effuderit.

Verum quidem est nonnullos Universitatum doctores ab ejusmodi agendi ratione non omnino esse absolvendos, immo temporum turbis longius aliquando abductos fuisse. Sed frustra de Universitatibus hoc potius quis contenderit universim loquendo, quam de permultis aliis strictiori immo ratione ecclesiasticis auctoritatibus. Tempora sane erant turbis plena, ipsumque mox habitum Concilium Basileense, factum autem conciliabulum, luculenter id comprobat. Martini V et Joannis Ducis verba omnisque postea Universitatis Lovaniensis sese habendi modus, non Pontificis solum sed et principum institutorumque nostrorum de Romani Pontificis auctoritate mentem ipsis illis tempestatibus eximio modo aperiunt. Modus vero quo pseudo-reformationis tempore tot Universitates conatibus Ecclesiæ hostium restiterunt, et, nonnisi vi et armis oppressæ et detruncatæ, viris optimis spoliatæ, magistris novis, sibi per principes impositis,

adulteratæ , ceciderunt , quodnam studium , quasnam rationes eousque cum Ecclesia retinuerint demonstrant.

Ceterum , ut quædam saltem habeantur pontificiæ mentis et auctoritatis circa Universitates documenta , traditionisque de his perpetuæ gentium catholicarum , post datam jam supra pro Lovaniensi Martini V erectionis bullam in Appendice ad hanc dissertationem alia nonnulla documenta dabimus.

Secundum quod Universitas Lovaniensis exhibuit momentum maxima illa est libertas , qua res disciplinarum et proprias vel Universitas vel varia quibus coalescebat corpora disponebant et regebant. Verba dictis hic addere vix opus est. Nota vero illa , primæ ad instar , quæ ex Fide mentes vere , licet cum procellis aliquando et turbis passionum , possidente oriebatur , etiam ex tota animorum indole , sensu scilicet dignitatis et libertatis propriæ , res omnes medio ævo penetrante modo prorsus naturali emererat.

Ex eodem fonte manabat conditio illa omnium Universitatis membrorum , tam magistrorum quam scholarium *superiorumque* inferiorum , qua in rebus ipsis privatis et vita usuque quotidiano maxima libertate a quacumque externa turbatione fruebantur.

Hæc quoque nota communis erat Universitatum catholicarum. Tota igitur harum Universitatum indoles luculento testimonio altæ illi universisque rerum ordinibus velut dominantî veritati est , quod scilicet Fides , quando vere possidet animos , vim illis indit aliquam intimam vinculumque propriæ observantiæ , unde sui ipsius vere domini , apti fiunt qui domini sint rerum rationumque suarum : observatio Ecclesiæ summa libertatis est custos et robur.

Pro summo quod inter culturæ societatisque hominum instituta Universitatum est momento , considerandi ipsas earumque rationes , prout jam diximus et pro parte vidi-

mus (1), diversissimum modum nactæ sunt. Ipsæ quoque, juxta tempora et populos, indolem constitutionemque sæpe diversissimam exhibuerunt. Quæ de his præcipui quidam auctores tradiderunt exponere et aliquatenus saltem pertractare, ut rectum judicium de ipsarum sana veraque natura ferri possit haud parum profecturum confidimus. Longissimo quidem intervallo variorum scriptorum de ejusmodi institutis notiones inter se separantur, et in quibus ipsis una universim mens est paucissima sunt.

Hæc scilicet tribus constant: Universitates scholæ sunt, eæque doctrinæ universæ, huic autem non tradendæ tantum sed et promovendæ, destinatæ. Ultra hæc mentes discrepant, Discrepant circa Universitatum causam finalem, quænam illa sit et in res et in homines; discrepant circa earum causam efficientem, in quonam fundetur earum profectus et ordo; differunt circa earum juris statusque conditionem, quomodo videlicet ipsæ aptissime se habeant et ad Ecclesiam et ad rempublicam. Forsitan, his rite perspectis, circa ipsorum institutorum illorum indolem et naturam auctores discrepare, merito quis pronuntiaverit (2). Inde quoque de discriminibus inter varia Universitatum genera intercedentibus auctorum diversus omnino res considerandi modus. Ad hunc jam transimus. Varios autem auctores adducentes, ipsis eorum verbis aliquando adhibitis, aliquando traditis quam fidelissime poterimus eorum circa graviora rerum nostrarum momenta sentiis, sæpe sæpius dicta et opinioniones obvia habebimus quibus adstipulari vir catholicus nequit. Singularia quædam vel aliorum mox laudandorum contradictioni, vel ex opinionibus contemplationibusque principalioribus illico vel postea ad trutinam vocandis judi-

(1) Cf. cap. I et III.

(2) Cf. cap. III.



canda relinquemus, absque speciali eorum impugnatione. His attendentem nullam confidimus passurum offensam.

§ 1. *F. C. Savigny.*

Veteres et novas Universitates considerans hæc inter illas discrimina colligit eruditissimus vir F. C. Savigny (1).

Prima quam affert differentia ad locum spectat quem veteres seu mediæ ævi Universitates longe ampliorem ac nostras inter varia culturæ media obtinuisse pronuntiat. Librorum hodie infinitus prope numerus, scholarumque variis disciplinis singulatim explorandis et tradendis destinatarum frequens copia illius minoris jam Universitatum existimationis causam præbent. Olim enimvero quum ejusmodi sese efformandi opes deficerent, longe majores in Universitatibus studentium moræ (2) majorque Universitatum, utpote fere unicarum omnis ad perfectum adductæ disciplinæ scholarum, per ipsos frequentia ultro sequebantur. Quibus ipsis de causis ad Universitates viri omni fere honore et dignitate vel ecclesiastica vel civili insignes prope-rabant, incitati insuper non parum studio illo mediæ ævi in omnia sui juris et alto cuidam fini destinata corpora, summisque, quibus tum Ecclesia tum respublica instituta nostra stipabant allecti favoribus. Talium studiosorum concursus quo tunc Universitates circumdabat splendore, eo nunc memoriam illarum tantum illustrat.

Secundum præclarus auctor originis discrimen indicat. Antiquissimæ nimirum mediæ ævi Universitates non tam ex

(1) Op. laud. *Geschichte des römischen Rechts im Mittelalter*, t. III, § 57.

(2) Præsertim ex necessitate temporis haud brevis consumendi in dictandis scribendisque iis, quæ libri non habebant, nec, si haberent, nisi paucis dividebant. Cf. Meiners, *Geschichte der Entstehung und Entwicklung der hohen Schulen unseres Erdtheils*, Göttingen, 1802-1805.

aliquo consilio alta jam claraque mente concepto cujusdam principis fundabantur, quam sponte sua, ut docet cl<sup>m</sup>us scriptor, et paullatim ex concursu discipulorum ad audientium illustrem aliquem magistrum semper crescente vicissimque alios magistros discipulosque alios in dies alliciente exortæ sunt. Quantum hæc libera et studii et ingenii origo splendoris et virium ejusmodi institutis attulerit disertis verbis auctor describit; utrum summo omnino jure, præsertim dum, conferendo primitivas has cum posterioribus ipsius mediæ ævi jam in ipsa sua constitutione omnibus copiis instructis Universitatibus, his illas longe præponit, dubium videri potest. Verum quidem est nonnullas sic modo recentiori exortas Universitates, veluti v. gr. Pragensi accidit, aliquando variis surgentibus turbis et insperatis eventibus succubuisse, ac ad ejusmodi eventum traditionis cujusdam firmæ in populo tam academico quam civitatis existentis defectum non minimum contulisse. Lovaniensis tamen Universitatis exemplum, quæ per difficillimarum vereque dirarum tempestatum vicissitudines, in Petri petra solidata, inconcussa vicens ac pollens doctrinæ copia studentiumque juvenum frequentia fere usque ad violentam ipsius seculo exeunte præterito sublationem permansit, inter alia præcipuum est, quo nimium huic viri doctissimi contemplationi favorem tribuere impedimur. Initio sane institutum vix creatum, licet opibus ingenii hominumque affluentia clarum radicibus illis profundis in animis, patria et Ecclesia caret. Quum autem per aliquod tempus altissima mentis bona largiendo, in Ecclesiam et rempublicam studium et obsequia faustissime conferendo, rerum momenta illa quæ cunctis hominibus vere bonæ et ingenuæ indolis pretiosissima sunt serio et cum optimo successu vendicavit illisque prospexit, facili profecto, quia prorsus naturali negotio in imo ingenii

conscientiæque fundo solidatur, patriæ atque Ecclesiæ fit carissimum ac veluti proprium, nec etiam validis procellis facile concutitur. Quodnam talia scribentes ejusmodi institutum, dictorum vivum exemplum, præ oculis habeamus sponte quisquis sibi ipse effinget. Huc accedunt quæ modo de causis ab originis ratione non pendentibus ab ipso Savigny indicari diximus, quibusque efficiebatur veterum Universitatum major tum splendor tum frequentia.

§ 2. *Chr. Meiners.*

Memorata discrimina cujusvis circa Universitatum argumentum momenti sint, exteriores potius earum partes respiciunt, quam ad propriam ac intimam ipsarum naturam referuntur. Opere laudato (1) Meiners differentiam aliquam indicat quæ, licet ipsa exterior quoque videatur, tamen tum ab interioribus rerum rationibus pendet, tum ad interna discrimina respicienda inducit.

In veteribus nimirum Universitatibus, in iisque quæ earum formam normamque retinuerunt, collegia ac bursæ, prout de Lovaniensi vidimus, magnam studentium juvenum partem recipiebant, nec sine aliqua illorum et de Religione ac moribus et de studiis cauta disciplina. Hæc vero collegia circa seculi XV exitum jam in multis, antiquioribus forte præcipue, Universitatibus, neque universim neque in suorum collegiorum institutis rebus disciplinisque novis accommodatis, deserebantur. Ejusmodi eventus cum gravi morum mutatione et jactura intime cohæret, et cum despectu quo veteres disciplinæ illarumque magistri a permultis jam considerabantur.

Etenim, ut docet Meiners et cuique compertum est,

(1) V. p. 123, n. 2.

vehemens quidam fervor nuper ab appositis magistris in Universitatum sedibus sed extra earum corpus constitutum docentibus excitatus fuerat, quo juvenes litterarum græcarum atque latinarum studia prosequebantur, jam fastidientes putidam plurium Peripateticorum dictionem atque inutilium argutiarum congeriem, ad quam plus æquo apud varios profecto degeneraverat lucida illa ac vere aurea methodus et doctrina quam dicunt scholastica. Jam hac omnino fere sprete, ejus magistros et instituta plerique deseruerunt. Hinc vero maxima libertatis voluntatisque sectandæ propriæ intemperies, auctoritatis autem veteris incredibilis despectio in multorum juvenum animis invaluit, morumque effera persæpe libido.

Magistrorum quoque novæ quædam rationes ad firmam illam et, cum libertate singulorum instituti corporum et membrorum, sibi consistentem tamen ac in communibus gravioribusque rerum momentis sibi similem Universitatum constitutionem convellendam non parum contulerunt. Cum Meiners innuimus, jam in ipsis civitatibus in quibus Universitates vigeant, litterarum antiquarum magistros scholas multas aperuisse, magnoque fervore ad illos audiendos juvenes raptos fuisse. In Universitatibus circa hæc tempora, ut Lovaniensis, enatis, licet nonnullæ difficultates exortæ fuerint, facilius tamen harum litterarum illarumque studii ratio habita fuit, et intra ipsius Universitatis corpus illorum doctrina recepta pars quædam consona illius evasit. In aliis vero antiquioribusque paullatim hæc doctrina etiam Universitatis negotium quidem facta, sed, prout initio contra antiquas disciplinas harumque magistros illico insurrexerat, sic et postea non absque gravi animorum contentione unitatisque in communi prosequendo fine detrimento perduravit: unum quiddam esse ex singulis partibus coalescens in finem

communem tendentibus Universitates illæ non paucae deserunt.

Sed et aliud discrimen litterarum antiquarum cultum illud introduxisse Meiners docet, quod jam magistrorum quibus annuæ sportulæ solverentur maxime auctus fuerit numerus. Prius enim aliqui quidem magistri in plerisque Universitatibus *publice* legebant; absque ulla scilicet solvenda mercede scholæ illorum auditoribus patebant, ipsis istis professoribus certam annuamque pecuniæ summam ab auctoritate publica vel Universitatis recipientibus. Longe major tamen magistrorum numerus *privatas* tantum habebat prælectiones, ad quas nulli nisi vel pauperes vel certa stipendia, lege plerumque vel a *taxatoribus lectionum* definita, solventes accedebant, sed quarum nulla auctoritatis publicæ fiebat remuneratio. Quum vero æstus ille litterarum antiquarum omnes fere terræ Europææ partes pervasisset, præcellentes ipsarum magistri nulla nimia videbantur pecunia posse vel allici vel remunerari, dum aliunde disciplinarum aliarum, philosophiæ maxime, præcipue scholasticæ, desertio, ut hæ eodem modo in tuto collocarentur suadebat. Inde novus ille quem Meiners modo exposuit rerum ordo.

Mox alius eventus intercessit, nimirum seculi XVI pseudo-Reformatio. Maximum ejus in Universitates influxum sequenti modo auctor noster declarat. Disciplinas prorsus a catholicis diversas protestantica Universitates colere cœperunt, litteris græcis et latinis maxime incumbentes, quum scholasticis studiis illæ operam præcipue navarent. Antiquarum, immo aliquando Orientis litterarum studium Meiners in Protestantium Universitatibus, maxime ex studio impendendi se inquirendis legendisque in lingua qua vel scripti fuerunt vel antiquissimæ eorum exstant versiones libris sacris deducit, dum ab iis colendis Catholicos ex liberæ

investigationis timore abhorruisse contendit. In studiorum tamen theologicorum profectum jam ipsis seculi XIV initiis, anno nempe 1311, Clemens V decreto a Concilio Viennensi adoptato sanxerat quod loco ubi curia Romana resideret et in Parisiensi, Oxoniensi, Bononiensi et Salmanticensi Universitatibus octo professores instituerentur, quorum duos hebraïca, arabica, græca et chaldaïca linguæ unaquæque obtinerent. In Universitate Lovaniensi ipsis *Reformationis* temporibus Collegium illud Trilingue istorum præcipue Sacræ Scripturæ studiorum causa fuit erectum. Catholicæ quidem Universitates in Artium facultate scholasticæ philosophiæ, in theologica theologiæ scholasticæ operam præcipuam navabant, nemoque est qui nesciat quanto studio quantoque fervore ætates illæ has prosequerentur. Verum quidem est in nimias fastidiique plenas argutias ambas sæpe decidisse, quum unusquisque multorum magistrorum alium ingenii acie vellet superare, sed in se consideratum studium philosophiæ ac theologiæ juxta intimiora illarum momenta certe nulli disciplinæ inferius est pronuntiandum. Eodem sane jure ac Meiners contra catholicos de neglectis græcis ac latinis litteris ratiocinatur fas esset concludere, Protestantibus, sequentes patronos exclamantes de principe scholasticorum: "Tolle Thomam et sublevabo Ecclesiam," odio in scholasticam doctrinam invectos, illam quantum ex illis pendebat oppressisse. Oblivisci nemo deberet, hinc quidem exortum illud paullo antea litterarum antiquarum tantum studium nova prorsus multo facilius ac antiqua instituta pervadens, illinc philosophiæ theologiæque positivæ utut scholasticæ pro catholicis præstantiam præ *protestantibus* abdicantibus auctoritatem, traditionem et pleraque symboli articula circa quæ omnia disciplinæ illæ vertuntur. Quod vero ad rem ipsam attinet, ipso præcise labente se-

eulo XVI catholici plurimi latini scriptores erant, quorum opera ipsi nostræ ætatis Protestantes philologi ut exempla scholaribus proponunt. Ne ad hoc argumentum occasione eorum quæ mox Meiners proferet redire cogamur, illico memoriam revocamus illarum non absque levitate non semen a catholicis contra catholicas scholas, Societatis Jesu maxime, quam præcipue Meiners studii contrarii accusat, excitarum querelarum de nimis foto litterarum antiquarum antiquorumque auctorum studio. Si in variis Universitatibus et institutis disciplinæ illæ ac litteræ aliquantum neglectæ fuerunt, hoc ex ratione disciplinarum aliarum a longo tempore jam excultarum, et revera maximam utilitatem, quando bene cultæ sunt, tum ingenio tum Ecclesiæ exhibentium, et antiquæ Universitatum et scholarum pro his colendis dispositionis factum est, nullo vero pacto animi causa alieni, quem in ipsas Ecclesia habuerit.

Præter litteras antiquas aliæ novæ disciplinæ paulatim in Universitatibus doceri cœperunt, tum ad literas aliarum ejusdem ætatis gentium, immo ad perficiendam etiam in externis mentis corporisque educationem, tum præcipue ad ingenuas artes pertinentes. Pro quibusdam earum nonnisi labente sæculo XVIII, nostrorū vertente scholæ Universitatum apertæ sunt. Porro nostris diebus Universitates variis iisque perutilibus institutis, vel per hominum æmula studia, vel per disciplinarum opes et adjumenta ibi congesta et promovendæ scientiæ destinata, præ priorum ævorum Universitatibus instructas esse, verissime Meiners annotat. « Docta instituta, » inquit, « in Germaniæ protestan- » ticis Universitatibus imperfectiora erant quam in Catho- » licis, in utrisque rariora et imperfectiora quam in Italia, » cujus vicissim tunc temporis instituta longe a nostris

„ superantur. Ipsæ Protestantium Universitates publicis  
 „ bibliothecis non omnes erant instructæ, multo minus  
 „ astrorum speculis, anatomicis, quæ dicuntur, theatris,  
 „ hortisve herbariis. De chemicis vero concamerationibus,  
 „ de hortis studendæ rei rusticæ, de nosocomiis, de rerum  
 „ naturalium exemplis, de instrumentorum physicorum aut  
 „ rerum ad artes pertinentium suppellectili ne cogitabatur  
 „ quidem (1). „

Inter eventus qui maximum in Universitatum statum influxum exercuerint, Meiners præcipue recenset jam commemoratam illam in publicas privatarum auditionum commutationem. Simul fere cum hac in multis Universitatibus enata sunt varia statuta, quibus præcipientibus singulæ singulis publicis magistris disciplinæ quotannis tradendæ dividebantur, immo, ut habent, v. gr. statuta Tubingæ :  
 „ Ne bini, „ edicebatur, „ eodem anno in iisdem titulis ver-  
 „ sentur, studiose cavento : eamque ob causam feriis autum-  
 „ nalibus de futuro materiarum utili et distincto cursu con-  
 „ stituunto. „ Ex priori causa lueri honesti faciendi, ex secunda mutuæ æmulationis stimuli quum evanuerint, harum legum momentum, disciplinarum studiorumque proventum delens, auctor noster non immerito luget, ut et pœnas quibus latis sæpe sæpius ad audiendos magistros studiosi cogebantur, jam non alliciendi sane dictionis jucunditate. His malis latius jam sparsis, ipsorum veluti cumulus ipse privatis auditionibus præ publicis favorem semper majorem denuo conciliavit, indeque media quædam plerumque obtinuit rerum

(1) Cf. Meiners, l. c. p. 202, 205; loquitur hoc loco de seculo XVI. Quas seculi XVII bella, illud præcipue, quod dicunt, triginta annorum, Universitatibus clades intulerit, variis locis enarrat. Jam vero ineunte seculo XVIII hæc Germaniæ instituta, ceterarum regionum omnibus, inter Germaniæ vero, protestantium Universitates catholicis multis numeris præstitisse contendit (p. 242).



dispositio, qua videlicet, dum provideretur de auditionibus publicis disciplinarum pro variis vitæ conditionibus, quibus adeundis Universitates præparationem exhibent, scitu necessariorum, singulis tamen magistris vel alias vel ipsas ab aliis professoribus publice jam traditas privatis auditionibus docendi facultas relinquebatur.

Præterea hæc privatarum auditionum redintegratio maximam partem hoc quoque, juxta Meiners, discrimen inter priores posterioresque Universitates adduxit, quod prælectionum major jam numerus anni, immo semestris spatii finibus circumscribitur, quum nullius antea temporis præfigeretur terminus. Magistrorum etenim privatorum intererat, discipulos nimiarum morarum timore a scholis suis argutiarumque aut inquisitionum immodeste prolatarum fastidio non deterrere. Licet hunc non parum auctor extollat effectum (1), attamen quum unius anni limites pro nonnullis disciplinis modo Universitatibus conducente tradendis æquo breviores sint, sæpe illum nec potuisse retineri nec posse patet, saltem absque ipsorum discipulorum injuria.

Ipsa hoc volumine I, p. 310 seqq., voluminisque IV p. 366 seqq., auctor propria inter Catholicas et Protestantium Germaniæ Universitates discrimina tradenda suscipit. Priores protestanticarum partes ab ipsis perspicacioribus Catholicorum scriptoribus agnosci dicit, hasque in sequentibus præcipue ponit (2).

Primo quidem loco, magistrorum virorumque doctorum

(1) V. l. c. p. 209.

(2) Illico notemus varia, quibus contendit auctor catholicarum terrarum Universitates infectas esse mala etiamsi concederentur, inde ea præcipue ortum duxisse, quod, quæ circa instituta nostra sanxerat Ecclesia, jam prætermissa vel in contrarium versa fuissent, unde sane jure catholicæ vocari Universitates illæ nequeunt. Quomodo hoc evenirit, jam aliquo modo capite primo ipsi adumbravimus.

conditioni, maxime si de philosophicis disciplinis sit sermo, in Germaniæ partibus Catholicis, juxta scriptorem nostrum minor honor habebatur minoresque tribuebantur favores, quam in protestanticis. Hujus rei causam indicat, nomen quidem ipsum professoris ibi etiam artium scholarumve infimarum magistris tributum, emolumenta longe minora, publicam illam fere omnium prælectionum indolem, bibliothecarum publicarum, aliarumque discendi docendique copiarum inopiam, unde ne litterarum quidem vel disciplinarum opibus nec opes magistrorum nec nomen augeri possint, carentiam honestæ illius æmulationis certaminisque stimuli, quum fere nunquam easdem disciplinas plures magistri doceant.

His magistros sublevandi, et ad laborem laudemque excitandi causis deficientibus, eundem finem per introductos varios, qui de illorum studio inquirerent illique invigilarent, magistratus (1) obtinendum sibi proposuisse eos auctor noster tradit, qui res Universitatum in Catholicis Germaniæ terris moderabantur; tali vero modo major profecto honor vel auctoritas magistris conciliari non poterat, quam liberæ illius æmulationis tum commodorum tum famæ incitamenti.

Huic quem ex magistrorum rationibus pro Catholicis Germaniæ Universitatibus deteriorem Meiners colligit statui, mox studiosorum considerationem addit. Similem hic inferioris conditionis causam prædicat, videlicet, quod studiosi, quo studiis incumbant, minus provocandi quam

(1) Tales erant, v. gr., pro regionibus Austriæ cujuscumque facultatis aliquis *Præses* vel *Director*; in aliis regnis *Decanus* vel *Prorector*; hi non solum inquirebant invigilabantque, sed ad magistratus Reipublicæ de singulis magistris referebant, ipsi multa sæpeque vel minutiora circa ipsum modum docendi vel sententias tradendas præscribentes. Cf. Meiners, l. c., p. 516 seq.

eogendi ibi visi sint. Rerum vero usus hic, sicuti in omnibus ubi boni aliquid peragendum est casibus, docet, vi coercitioneque multo minora effici, quam aptis consentaneisque irritamentis. Studiosos inde nullo fere disciplinarum ardore, solo "panis" studio duci, neque quæ ultra sunt appetere. Alia ipsorum ignaviæ causa status scholarum quibus apud Catholicos ad frequentandas Universitates pueri juvenesque præparentur, protestanticis qui sit inferior, ab auctore indicatur. Quo tamen aliqua ipsius hac in re peritiæ mensura habeatur, quem ipse alius cujusdam scriptoris, nulla temperatione adjecta, in suæ sententiæ probationem laudat locum (1) afferre lubet: "Societatis Jesu  
" temporibus memoriæ permulta mandabantur, per octo vel  
" decem annos meræ interminatæ ediscendi operæ, omnis  
" acies intellectus, imaginandi judicandique quævis facultas  
" oppressa auferbantur, tam noxium ipsis cogitandi labo-  
" rem homines dedocebantur, — res magistris eo gra-  
" tior, quo magis tales hominum machinæ, mox majores  
" minoresve Consiliarii, patres præpositi vel familiæ vel  
" regioni, in quocumque graviore casu ipsos " (Societatis Jesu  
sodales) " rogare debebant, ut sua vice molestum cogitandi,  
" consilia dandi, gubernandi laborem subirent. Tam egregie  
" instructi juvenes Universitatem adibant, ipsam quoque  
" aëre fere nec tenuiori nec puriori ac scholæ circumfusam,  
" qua eximii ipsi viri fierent. " Quærere profecto licebit,  
num talia qui scripsit scriptave laudavit, in *Rationem studio-  
rum* Societatis Jesu unquam inciderit, aut illius scholarum  
illum discipulum de ipsis unquam interrogaverit.

Aliud, juxta Meiners, catholicarum Universitatum Germaniæ malum ejus tempore id existebat, quod earum disci-

(1) *Abhandlung, wie die Universitäten in den K. K. Erblanden beschaffen sind*, p. 10-15.

plinarum quæ communiter, ante diffusam ibi litterarum antiquarum doctrinam, in eis tradebantur prælectiones servatæ essent; ipsæ tamen studiosorum neque ætati neque variis dotibus accommodatæ, neque ipsorum quæ inibi tradebantur graviori vel leviori momento. Augeri vero hoc malum exinde profitetur scriptor noster, quod studiosi per totum studiorum tempus non ut viri liberi, sed ut impuberes discipuli tractentur. Ordine aliquo annorum, et ipsius anni, dierum et horarum fixo, tum singulas disciplinas, tum quosnam earum audiant magistros illis assignari; nullo propriæ electioni relicto loco, nulla vegetioris ingenii juvenibus, si doctrina se celerius excoluerint, celerius studiorum attingendi finem vitæque viam per studia intentam paratamque ingrediendi spe relicta. Juvenes vero continuis ad fastidium usque ipsorum magistrorumque divexari circa eorum profectum examinibus, per singulas, secundum varia statuta, hebdomades: illis autem sic studia ipsa fastidium non generare fere non posse.

Maximum tamen et communissimum vitium quod totam instituendorum juvenum in Germaniæ regnis catholicis suo tempore pervaserit rationem, Meiners exponit illud, quod præparatio quam scholæ Universitati inferiores ad hanc adeundam exhibebant, omnis manca esset et imperfecta; solidis non modo non instructi cognitionibus, sed ne ingenio quidem ad altiora apto præditi, pueri quatuordecim, tredecim, immo duodecim annorum, alumni, ut dicunt, fierent philosophiæ. Absolutis vero sic scholarum istarum annis, quo malum prædictum perniciosius se exhibeat, disciplinis fere innumeris, illisque altioribus, in Universitatibus addiscendo præscriptis veluti immergi, neque hic, prout dictum est, vel disciplinas vel magistros eligendi copia relicta. Si addas his quæ jam de frequentissimis examinibus aliis-

que illarum Universitatum defectibus auctor noster tradidit, studiosorum haud minus ac magistrorum totiusque instituti, temporis saltem quo ipse scripsit, quam sibi ideam effinxerit, facili negotio perspicies.

Falso tamen quis crediderit auctorem nostrum Protestantium Universitatibus, etiam dum eorum fata narrat, partes primas semper tribuere. Fateor quidem me ipsi libentius quam mihi, quæ varia variis locis perhibet quomodo invicem non repugnent, ostendendum relinquere, neque, perlectis illis, ab ea quam Savigny de illius opere tulit severiori sententia me multum abhorrere (1).

Alio loco idem auctor noster protestanticarum catholicarumque Universitatum argumentum denuo tractans (2), haud mediocri violentia in veterum hisce anteriorum temporum tenebras superstitionesque invectus, et extollens novam puramque disciplinarum morumque lucem, quam ab antiquarum literarum magistris et propugnatoribus, ut disseminaretur, susceptam, reformatores isti quos dicunt, ut Lutherus et Melancton, quaquaversum propagaverint, protestanticas Universitates laudat. Præ ceteris hoc encomio has exornat, quod vincula veteris scholarum habendarum rationis diruperint, novis disciplinis aditum aperuerint, linguas latinam græcamque assidue colentes, germanicæ tamen quoque studium, ea haud raro in prælectionibus habendis usæ, in ipsis Universitatibus promoverint, unde societatem aliquam arctiorem, eousque non existentem, inter horum institutorum membra rationesque, ceterosque gentis vel homines vel commoda colligaverint, mox vero, prælucente quidem Göttingensi, *Georgia*, quam dicunt, *Augusta*, omnis fere generis disciplinas tradendas suscepe-

(1) Cf. Savigny, op. cit., p. 152 annot.

(2) Vol. IV, p. 566 seqq.

rint. In his omnibus protestanticas Germaniæ Universitates catholicis prævaluisse tradit, donec, labente seculo elapso viri cultioris perspicaciorisque ingenii, Josephus maxime II, eadem bona his quoque communicarent. Germaniæ Universitates juxta auctorem nostrum creverunt, dum reliquæ fere omnes, Scotiæ exceptis, in deterius magis magisque verterentur. Opus vero suum his concludit verbis :

„ Eadem terræ Europæe Universitatibus sors fuit, quæ  
 „ rerum publicarum institutis et administrationibus, legi-  
 „ bus, jurisdictioni, religioni, moribus : vertentibus sæ-  
 „ culis tantopere immutatæ sunt, ut in optimis novis vix  
 „ aliquod priscae earum figuræ vestigium reperiri queat. In  
 „ hodiernis Universitatibus neque *Nationes* sunt, neque  
 „ Nationum societates. Pleraque veterum Universitatum  
 „ privilegia abierunt, et quæ permanserunt formam vel  
 „ modum ab antiquo differentem induerunt. Baccalaureorum  
 „ licentiatorumque dignitates e medio sublatae sunt, magis-  
 „ trorum et doctorum rariores quotidie minorisque fiunt  
 „ æstimationis. De exercitationibus scholæ non magis fere  
 „ quam de antiquo magistrorum et discipulorum vestitu  
 „ habituque sermo est. Magistri Universitatumque magis-  
 „ tratus modo a priori prorsus diverso constituuntur. Ma-  
 „ gistri vel alias omnino quam eorum decessores disciplinas,  
 „ vel, si sint eadem, more ab istorum maxime alieno tra-  
 „ dunt. Tempora quibus vel studiis vacatur vel ab ipsis  
 „ quiescitur ab antiquis non minus differunt, quam auditoria  
 „ ipsa, legesve academicæ et pœnæ. Quidnam erant duo-  
 „ decimi triumque sequentium seculorum, si cum nostris  
 „ illas conferas, Universitatum bibliothecæ? Quicumque alius  
 „ publicus rerum thesaurus publicumve quodcumque institu-  
 „ tum prioribus temporibus inauditum quid erant (1). „

(1) Meiners, t. IV, p. 377, 378.

Diximus auctorem nostrum litterarum antiquarum præcones magistrosque ob disjectas disciplinarum morumque tenebras, illorumque in hoc opere patrando posteros, Reformatores nimirum quos dicunt sæculi XVI, maximis laudibus extollere. Præcipuum priorum meritum in eo reponit, quod non solum insurrexerint contra cleri mores corruptissimos, verum etiam adversus modum, ut ait, insolentem, quo Romanus Pontifex auctoritate sua abuteretur, et adversus infaustum illud schisma, quod orbem Christianum scindebat. Qua de re ita scribit: " Ut Petrus d'Ailly, » Joannes Gerson et Nicolaus de Clemanges.... principem » Universitatis Parisiensis locum obtinebant, ita hæc principem consequuta est ecclesiæ gallicanæ totiusque orbis » Christiani. Universitas Parisiensis clerum quidem Galliæ » vocavit ad tuendas gallicanæ, celeberrimas vero Universitates Angliæ et Germaniæ, simul cum potentissimis » principibus secularibus et ecclesiasticis, ad tuendas universæ Ecclesiæ libertates. Et revera successit illi non » gallicanæ tantum, sed ipsius universæ Ecclesiæ libertates servare, schisma tollere eoque perdurans, ipsosque Romanos Pontifices œcumenicis conciliis subicere. » Magna quam sibi magistri Universitatum Parisiensis, » Oxoniensis, Pragensis, Vindobonensis in conciliis Constantiensi et Basileensi compararant auctoritas, simili illos instruxit in propria ipsorum patria. Per totum » seculum XV Universitates Parisiensis, Oxoniensis, Pragensis, Vindobonensis et aliæ ad deliberationes de publicis tam reipublicæ quam Ecclesiæ negotiis adhibebantur. » Ipsi illi qui pro Ecclesiæ et reipublicæ bono decertabant heroës eodem cum studio vulgatam impietatem et superstitionem, contumeliosam ignorantiam perversamque et » vesanam scholarum subtilitatem impugnabant. Legendos

„ commendabant antiquos Romanorum Græcorumque scrip-  
„ tores, studiisque instabant Sacræ Scripturæ antiquiorum-  
„ que Patrum Ecclesiæ. Præ ceteris vero rebus omnibus  
„ sufficere negabant veritates Religionis nosse ipsasque  
„ docere, sed vita quoque illis exprimendis pronuntiabant  
„ esse studendum (1). „

Ad quinque præcipua capita referuntur quæ hic de varia-  
rum Universitatum discriminibus, de discrimine maxime  
inter Catholicas et protestanticas Universitates interce-  
dente Meiners protulit. Differentiarum momenta respi-  
ciunt conditionem rationesque vel magistrorum vel studio-  
sorum juvenum, vel disciplinas docendas ipsumque earum  
docendi modum, vel copias externas Universitatibus præsti-  
tas, vel tandem ipsam illam causam quæ ceteris omni-  
bus dominetur studium id est ingeniumque varium, quæ  
varia hæc Universitatum genera informant.

Hic autem duo præmonenda videntur. Ac primo quidem,  
quod revera Universitates non potiori ratione quam cetera  
humana instituta conditionem evaserunt humanam, vicesque  
inde non paucas ac varias ex temporum momentis et ex  
ipsa illa omnium quoque hominum, si sibi non continuo ac  
strenuo invigilent, tam facile irrepente socordia et ab  
altiori in inferiorem statum delapsu, expertæ sunt. Corpora  
tam grandia atque tam firma, instituta per scopum eorum et  
per locum dignitatis, auctoritatis et roboris amplissimum tam  
ab Ecclesia quam a republica certatim illis concessum, his  
juribus, hac libertate, hoc pondere, si universim, quibusdam  
quidem cautis, se aptissima præbent ad finem proprium  
attingendum, negari ex parte adversa nequit, nisi provide  
disposita, rebus omnino novis non ita celeriter, si ipsam  
eorum fere constitutionem attingant, se aperire.

(1) V. Meiners, t. IV, p. 562, 565.



Alterum vero eorum quæ præmonenda diximus hoc est : accurate distinguendum est inter ea quæ ex institutorum ipsorum natura illorumque ut Catholicorum vel protestanticorum caractere manasse dicenda sunt, et ea quæ ex ævi adjunctis momentisque a religioso alienis juxta illa emergere potuerunt. Maxima vero injuria sæpe Ecclesiæ tribuerentur eventus vel rerum sese habendi certi modi qui ab aliis prorsus causis sæpe provenerunt, et non raro a tota Ecclesiæ agendi sentiendique ratione prorsus sunt alieni.

His præmissis facile perspicitur quomodo discriminum a Meiners indicatorum maxima pars res mere facti dicenda sit; alia vero prorsus aliter, quam ab auctore nostro fit, dijudicari debeant. Universitates Universitatumque professores et doctores Romani Pontifices et ipsa regna Catholica medii ævi mirum in modum exornaverunt; libertate maxima circa ea quæ tradere luberet præditi erant, dummodo de certis quibusdam omninoque necessariis prælectionibus cautum esset. Exemplo Universitatis Lovaniensis, quæ veterum Universitatum indolem demonstrabat, vidimus quænam jura illis circa omnia fere quæ Universitatis erant decernenda, magistratusque et ipsum Rectorem eligendos, competebant; fortunæ vero antiquis temporibus facilius ex discipulorum frequenti concursu in tuto collocabantur. Accedit maximus ille studiorum fervor qui in scholasticam præcipue methodum et doctrinam animos rapiebat tum docendi tum discendi aviditate. Quæ quidem non semper perdurarunt, neque semper valida ac sana, sed ex temporum revera conditione, non ex Ecclesiæ aut proposito aut ratione aut efficientia.

De discipulis autem notum est quænam eorum fuerit medio ævo libertas, et in multis quidem Universitatibus auctoritas (1), quænam eorum, si de his rebus agitur, potior ac

(1) Cf. p. 103, 104.

nostrorum conditio. Apud ipsam scholarium societatem in multis Universitatibus summa erat rerum Universitatis dispositio, ita quidem ut juvenem nostrorum studiosorum qui consideret ætatem, eorumque in tot Universitatibus sese gerendi modum, talem auctoritatem nostris temporibus prorsus absonam fore merito dixerit. Quod si veteres illi scholares multipliciter circa disciplinas exercebantur, hoc e studio quidem ipso quo in illas ferebantur proveniebat; sed oriebatur id ex natura quoque tum disciplinarum tum exercitiorum quibus incumbebant. Ista exercitia maximam partem disputationibus constabant circa res animi attentionem ingeniique aciem impendendam maxime requirentes, unde vera erant mentis et rationis certamina cujus vicissitudines tum certantes tum spectantes avidos ciebant. Hic omnia fere ex modo quo res aguntur pendent; si igitur posteriore ætate sæpe sæpius illæ exercitationes, vivida mentis exercitia, operarias fere rationes induerunt torporemque potius ingenii quam vigorem foverunt, neque hoc ullo jure Ecclesiæ tribui potest. Verum quidem est, si de philosophia et theologia scholastica, præcipuis mediæ ævi et ab Ecclesia fundatarum Universitatum disciplinis, sermo sit, non raro discipulos ea quæ totius certo die habendæ scholæ argumentum ac veluti subjectam materiam exhibebant memoriæ mandasse. Sed exinde verbis certis et claris possidebant totum illud, quod jam explicari, inquiri, investigatione ditari debebat: in possessionem veluti mittebantur agri explorandi, laboreque proprio mox ditandi ac colendi, certaque argumenta certasque rationes continuo retinebant qui totius disciplinæ summam et mentem facile illis jam et ultro præbebant. Memoria profecto Dei donum est hominis commodo destinatum, nec, si debito modo ac ratione nobilioribus ingenii dotibus inservire destinatur, ullo modo qui eam colit sui patietur jacturam.

Ne vero huic negotio rursus operam navare debeamus, illico notemus famosam illam contra quam tam sæpe ætatis quoque nostræ homines invehuntur scholastici sermonis quam dicunt barbariem, sæpissime in hoc vel uno consistere, ut ideis theologicis vel philosophicis, tantum post diffusam lucem veritatis Christianæ in mentibus excitatis, termini novi et quam fieri poterat ideæ exprimendæ aptiores dicarentur. Romani profecto res sibi ignotas non nominabant; credo tamen Romani omniumque populorum moris fuisse, ipsumque aureum hujus luculenta exempla præbere Tullium, non ideas vocibus, voces vero ideis subdere. Inde vero eminentem illam primamque dictionis philosophicæ ac theologicæ omnisque vel generis dictionis qualitatem, proprietatem nimirum terminorum, usumque illorum pro iisdem notionibus indicandis omnibus communem assequabantur; nec, prout hodie fit, aut scribendi mediam partem in declarando quemnam unicuique vocabulo subnecterent sensum consumere, aut se mutuo non intelligere cogebantur (1).

Ad disciplinas quod spectat, iis quæ jam breviter diximus addere lubet et in mentem vocare quod ipsarum litterarum antiquarum fervor longe ante enatam seculi XVI pseudo-reformationem excitatus fuit, et ex Italia præcipue in alias terræ Europææ regiones se diffudit. Immo Leo X, qui Sedem occupabat Romanam ipsis istius reformationis ineuntibus temporibus, non semel accusatus fuit de artium et litterarum antiquarum ethnicarumque nimio quod dicebant studio et in aula sua usibus. Cardinalis autem vel solius de Ximenes nomen, litteris disciplinisque haud minus ac Religiosis, institutis tum in illarum tum in hujus bonum erectis nobilissimum, et ab ipsis Ecclesiæ Præsulibus et cel-

(1) V. p. 129-151.

sissimis viris, pro utroque merito, maximis laudibus elatum, quod nominetur sufficit, ut Ecclesiae mens circa liberales artes, litterarum studia aliasque disciplinas luculenter aperiat. Ab illis profecto non abhorret Ecclesia, ipsas contra, dummodo veritatis pulchritudinisque universae illae partes contra ipsius veritatis pulchritudinisque fontem ejusque veritatem revelatam perfido more non vertantur, omni favorum genere prosequitur.

Quae vero tam inepte auctor noster de collegiis, maxime vero de Societatis Jesu institutis, dicit, revera longius nos detinere non merentur.

Ut igitur ad propositum redeamus, catholicorum regnorum doctrinae disciplinarumque instituta saepe a bono statu decidisse non infitiamur. Sed quodnam fuerit ipsorum reformatum ut vocitantur in illas studium, quænam virorum reformationis, prioribus saltem quibus invaluerunt temporibus, efficientia, varii jam perspicuis innixi documentis ostenderunt, inter quos Döllinger (1) et Busz (2) laudare sufficit. Reformatum ipsorum verba ibi legenda sunt omnisque generis convicia quibus, praecipue Lutherus, tum latinas graecasque litteras, tum philosophiae totamque scholasticam doctrinam, Universitates, collegia, docta instituta, non solum prout tunc temporis exstabant, sed ex ipsorum natura, cumulabant. Quisnam vero breve post tempus litterarum disciplinarumque, quisnam morum studentium status in regnis protestanticis fuerit, non minus luculenter ibi reperitur.

Litterae quoque germanicae jam ante Lutherum non parum profecerant. Ipse quidem ejusque discipuli huic aetatis studio

(1) *Die Reformation, ihre Entwicklung und ihre Wirkungen*. Regensburg, 1846.

(2) Utrouque opere laudato; v. p. 41, not. 2, p. 56, not. 1.

faverunt, sed ex illis enatum non est, neque injuria credendum quod, si tranquilliori saniorique modo provectum fuisset, absque omnīs fere reliquæ culturæ destructione et despectu, ratione saniori et magis proficua processisset.

Qui Universitatis Lovaniensis foundationis bullam, qui varia ad calcem opusculi posita documenta perlegerit, quantum sollicitudinem Pontifices etiam de opibus sufficientibus habuerint agnoscet. Opum exteriorum copia, teste auctore nostro, modo hic modo illic major minorve fuit, neque justa criminatio videretur contra unam potius quam adversus alteram gentem seu *Confessionem* de his cienda. Non quidem infitiamur cultum præcipuum philosophiæ ac theologiæ in variis catholicorum Universitatibus forte copiarum pro aliis disciplinis providendarum studio nocuisse; hæc tamen ipsæ altissimæ disciplinæ, dummodo apto modo tractatæ, ornamento non minimo illis esse poterant. Res hæc sunt præterea, ut diximus, potius accidentales, neque in unam neque in alteram partem nimis trahendæ.

§ 5. *Car. von Rotteck et Car. Welcker.*

Hæc de Universitatibus earumque magistris a Meiners enarrata Rotteck et Welcker (1) excipientes, rem altius considerandam sibi proponunt. Momentum indagando in quo fundetur Universitatum vis interna et externa, in libertate generali, interna ea quoque atque externa, illud reponunt, et sub hoc respectu vices inter Universitates et Reformationem, quæ dicitur, seculi XVI, arctissimas esse statuunt.

(1) *Staatslexikon*, Articulo *Universität*. Dissertatio hæc scripta quidem (a) fuit a Scheidlero, selecta vero et adoptata fuit ab auctoribus supradictis.

(a) Cf. supra, p. 52, 55.

Doctrina methodusque scholastica, tum docendo, tum frequentissimas acerrimasque inter discipulos disputationes instituendo, omnes et singulas quæstionum ad res divinas et philosophicas pertinentium partes pertentans, juxta ipsos ad convellendam cæcam, ut ajunt, auctoritatis fidem promovendamque generalem sentiendi, cogitandi edicendique quæ placuerit libertatem maxime contulit. Aliunde vero Universitates, celsissima jam pro suo fine instituta, summis autem tam rerum quam honorum privilegiis stipata, auctoritate eximia qua tam in Ecclesia quam in republica fruebantur simili ratione secundum auctores nostros usæ sunt. Sua facientes quæ a Meiners prolata vidimus verba neque parum illis addentes, Universitates earumque doctores exhibent quasi Ecclesiam ab usurpata Pontificis Romani auctoritate vendicaverint, immo totum convellerint ecclesiasticum ordinem et compaginem. Hæc juxta illos Universitates multo magis labente seculo XV ac XVI ineunte præstiterunt, quo tempore ipsa illa Reformatio ortum habuit; hujus autem præcones magnam partem fuisse Universitatum doctores affirmant.

Reformatio vero vicissim juxta auctores nostros libertatis et ipsa veluti altera parens fuit, tam in republica quam in Universitatum sinu. Quoad Universitates, Reformationem promovisse dicunt studiosorum academicam libertatem, disciplinarumque perscrutandarum ardorem, maximeque egisse ac modo faustissimo in interiorem præcipue Universitatum vitam: linguam populi communem enutrivisse, veteres Græcorum Romanorumque coluisse: disciplinas inferiores quæ Universitates gravabant, scholas inferiores erigendo, his demandasse.

Hanc autem Universitatum in libertatem Universitatumque ipsarum internam constitutionem efficientiam Rotteck

et Welcker porro explicant adductis verbis illis quibus de pseudo-Reformatione scribit Zachariæ : « Eo tendebat ut » Ecclesiæ christianæ constitutionem omnino ab ea vi liberet, quam in eam asiaticæ juris ideæ et decreta propter » nexum historicum inter Religionem Christianam et Judæicam intercedentem exercuerant; aliis verbis, ut, loco » constitutionis Ecclesiæ Romano-Catholicæ, dispositæ per » ordinem hierarchicum ceteris dominantem et interius » ordinatum, talem poneret, quæ in dogmate sacrorum » omnium liberorum verteretur. »

Quod de asiaticis illis ideis et decretis circa res Religionis auctores nostri cum Zachariæ asserunt, idem et circa politicas ipsum sequuti tradunt. Reformationis, ajunt, erat ex populorum germanorum constitutionibus « illud additamentum asiaticum expellere, quod e jure Ecclesiæ Romano-Catholicæ, » fundato in lege mosaica, acceperant, ... reipublicæ cum » Ecclesia unitatem tollere, potestatique regiæ fundamentum aliud quam auctoritatem quamdam et jus a Deo regibus et principibus terræ tradita, tribuere; » — in cujus rei comprobationem provocant ad jus resistendi principibus a Luthero prædicatum, ad rempublicam Batavorum, ad Britanniam ipsiusque antiquam, sed pene jam obrutam, post multa certamina super fundamento libertatum populi mirabiliter denuo exstructam constitutionem; hæc autem omnia opponunt doctrinæ de jure regum divino, de cæca subjectorum obedientia, de omnino repudianda qualibet absolutæ regum potestatis temperatione.

Jam vero cum hac questione intime, secundum auctores nostros, cohæret illa alia de amborum celsissimorum et gravissimorum quæ exstant corporum, Ecclesiæ nimirum et Universitatum, juris publici rationibus vel mutuis vel cum vi publica. Æque autem juxta eos constat quæstionem hanc

„ modo vere convenienti usu solvi non posse, nisi in civi-  
 „ tatibus illis, in quibus ingeniorum liberorum juriumque  
 „ popularium decretum lege prima agnitum sit, id est in  
 „ nostris protestanticis, constitutionalibusque, quæ vocan-  
 „ tur, civitatibus. Omnes enim illæ singulæ, quotquot sunt,  
 „ considerationes ad alterutram hanc tandem aliquando  
 „ conditionem revocantur. Aut nostræ Germanicæ Univer-  
 „ sitates, quales a Reformationis, quæ ab illis profecta  
 „ est, temporibus, usque ad ineunte seculo nostro liberatam  
 „ Germaniam sese conformarunt, perficiendæ sunt secun-  
 „ dum nostræ ætatis studia, dogmata videlicet progressus  
 „ et comitorum in republica condendis legibus partici-  
 „ pantium. Aut *ultramontanæ* servilique de hierarchia et  
 „ absoluta potestate sententiæ, *obscurantismo* hebetanti-  
 „ que doctrinæ, tamquam mera pro civitatis et Ecclesiæ  
 „ servitiis instituta pædagogica, juventutem academicam a  
 „ se more austriaco efformatam ut obsequentia instrumenta  
 „ tradent. „

Protestantismo præterea dicunt rempublicam non om-  
 nium potestatum summam quamdam esse complexionem, sed  
 juxta eum res et potestates quasdam non inferiores existere,  
*Religionem, disciplinas, artes*, quæ quidem bona producere  
 potestas civilis nequeat. Ex hac vero Ecclesiam inter et  
 rempublicam separatione, ex his bonis quibusdam altissimis,  
 hominibus quia homines sunt propriis, nexu necessario  
 sequi dicunt jus absolutæ credendi profitendique quæ in  
 rebus Religionis placuerit libertatis singulorumque propriam  
 in his auctoritatem, quum neque protestantismus, neque  
 Christiana Religio sacerdotalem ordinem agnoscat ullum,  
 sed magistros doctrinæ religiosæ tantum, sacrarumque cæ-  
 remoniarum magistratus, quumque sententia protestantismi  
 prima ea sit, Protestantem per semetipsum omnia tentare.



„ Ex his omnibus, „ ita pergunt Rotteck et Welcker,  
 „ totius Germaniæ Universitatum propria et præcipua nota,  
 „ *academica*, quæ dicitur, *libertas* se exhibet, simul ex ipsis  
 „ doctrinæ genti Germanicæ Religionique Christianæ, Pro-  
 „ testantibus præcipue, propriæ visceribus proveniens. „  
 Hæc vero libertas juxta ipsos præ rebus ceteris vario modo  
 rationes spectat magistrorum. Hic primo loco habetur *docendi*  
*libertas* generaliter accepta, eaque, sicut libertates politicæ,  
 non effrena quædam, sed ejusmodi ut magistris in tractanda  
 quam ipsi elegerint disciplina nulla docendi præscribi possit,  
 neque ab Ecclesia neque a republica, aut ratio aut doctrina;  
 interior præterea exteriorque prælectionum ordo, quo tem-  
 pore, qua methodo, quibus insistendo legant, magistrorum  
 arbitrio commissus sit. Magistrorum vero libertas academica  
 conditionem quoque eorum respicit, quatenus membra sunt  
 illius quæ dici potest doctorum virorum scriptorumve civi-  
 tatis. Debent, haud secus ac ceteri auctores quicumque, jure  
 frui, de omnibus rebus, nihil tamen falso asserentes, judi-  
 candi illasque improbandi. His accensenda est libertas abso-  
 luta qua gaudeant in edendis facultatum sententiis (*Facul-  
 tätsgutachten*); quæ judicum judiciorumque generali libertati  
 omnino respondet, hæc tamen omnino amplitudine superans.  
 Huic libertati addunt varia magistrorum jura. Res vero  
 miranda! de omnibus ipsi statuunt ea vel omnino circum-  
 scripta et imminuta jacere, vel prorsus abiisse, dum medio  
 ævo libere exercerentur. Ejusmodi sunt jus illud insigne ad  
 dignitates vel gradus academicos admittendi (1), mos dirigendi  
 acta ad juris facultatem, ad theologicam consultationes, ut  
 responsiones haberentur. Institutum autem docentium pri-  
 vatorum (*Privatdocententium*), quo aliud antiquum magis-

(1) Salva tamen Cancellarii potestate.

trorum jus libere sibi in suæ facultatis campo disciplinam quam traderent eligendi servari debebat, jam fere ex appositis conditionibus ab hæc libertate decidisse pronuntiant.

Post magistrorum, studiosorum juvenum Rotteck et Welcker describunt libertatem, alium illum juxta ipsos Reformationis quæ dicitur splendidissimum fructum, quo libertas academica perficitur. Constitui eam primo quidem dicunt *libertate studendi* (*Studirfreiheit*): id est, ipsorum studiosorum juvenum de cunctis suis studiis libero arbitrio et ordinatione. Huc jam libera, universim saltem loquendo, inter varias Universitates optio annumeranda est. Ex hac libertate præterea omnibus Universitatis studiosis omnino permissum est, quot, quales, quorum magistrorum, quonam ordine, quanam assiduitate, quibus privatis concomitantibus studiis, prælectiones ibi traditas audiant, quas laboris relaxationisque moras disponant, quo modo et mensura opportunitate animum quaquaversum in Universitatibus excolendi utantur necne. Bona consilia ne absint, immo ipsæ Universitatum rationes hisce dandis abundantem præbent locum, sed vel minimum quodvis coercionis vestigium, quævis, etsi vix percepta, auctoritatis externæ efficientia perniciosa est.

Tandem cum discendi libertate universa studentium quæ vocatur libertas (*die sogenannte studentische Freiheit*) connectitur, vitæque Universitatum protestanticarum in Germania studentibus propria (*das deutsche Studentenleben*). « In » mentem hic revocandum est, ajunt, sicut ex bellis Reli- » gionis et absoluta continuoque crescente principum potes- » tate universa populi publicæque Germanorum vitæ ultimis » seculis omnino morbida evaserat, ita Universitatum quo- » que neque magistrorum neque discipulorum vivendi » morem secundum rectam ipsius notionem, quibusdam » horum institutorum egregie exceptis, emersisse.... Ut

» protestantica ecclesia per illud quod dicitur *Systema terri-*  
» *toriale*.... in reipublicæ ancillam abierat, ita et Universi-  
» tates in mera reipublicæ instituta, secundum pejorem  
» vocis significationem. »

Dolent porro Rotteck et Welcker, permulta auctoritatis  
publicæ decreta severissima huic academicæ docendi, dis-  
cendi aliorumque quæ vidimus libertati atque ita propriæ  
juxta ipsos Germanicarum Universitatum indoli vulnus  
acerbissimum intulisse. « Gravissima, ajunt, idcirco hodie  
» est necessitas.... ut reeducatur secundum modum tempo-  
» ribus nostris apte accommodatum ista Universitatum pro  
» corpore proprio constitutio, vel saltem diligentissime pro-  
» videatur omnium illius libertatis, proprietatis ac juris, quæ  
» in sinu ipsarum nondum perierunt, partium conservationi. »

Seipsos igitur auctores nostri præclare refellunt, et rem  
nostram curant. Profecto si medii ævi catholicarum Uni-  
versitatum liberam constitutionem et in res ac negotia sua  
propriam auctoritatem, si magisterii conferendi munus  
jurisque docendi concessionem, si sententiarum academia-  
rum in publicis negotiis edendarum ac consultationum circa  
juris vel theologiæ quæstiones recipiendarum et dirimen-  
darum jus, antiquitus continuo exercitum, si hæc igitur  
omnia potestas civilis vel sustulit vel sibi arripuit, in studio-  
sorum vero societates pro libitu prorsus proprio maxima  
severitate feratur, — libertatem illam auream, quæ sit  
nobilissimus pseudo-reformationis fructus, alteque ducendi  
ingenia quæ ab ipsa sola produci potuerit justissima causa,  
longius jam et secundum momenta vere essentialia abiisse  
fatendum est.

Libertas quidem magistrorum quascumque sententias pro-  
ferendi, quascumque docendi doctrinas, istis non attingitur,  
ut nec studiosorum juvenum facultas quam absolutam aucto-

res nostri volunt tum eligendi magistros doctrinasque, tum quæcumque circa studia propria ac vitam disponendi; quamquam non parvam hæc libertas imminutionem patitur ex lege fere omnium jam istorum regnorum omnibus statuta, ut partem satis magnam temporis studiis Universitatum destinati in aliqua Universitate patria consumant. Quum autem argumentum illud absolutæ docendi discendique quasvas doctrinas libertatis propius ad verum, quod inter diversa Universitatum genera intercedat, discrimen referatur, auctorum nostrorum de ea assertionem non negligamus.

Libertatem igitur illam uti supremum Universitatum dogma ipsi proponunt. Momentum ejus internum in antiquis hujusmodi institutis per methodum doctrinamque scholasticam depositum indicant, externum autem per vim auctoritatemque cum quibus Universitates præpollentesque varii earum doctores schismatis præcipue temporibus Pontificis Romani potestatem, et hoc ipso totam ex asiaticis ideis ac moribus traductam ac usurpatam hierarchiæ ecclesiasticæ constitutionem convellerint, cœcam necessitatisque fidem enervaverint, et viam straverint absolutæ rationis dignitatisque humanæ per Reformationem, cujus ipsæ Universitates pars magna fuerint, liberationi. Reformatio vero rursum populos emancipando a servitutis ideis, usibus et vita, Revolutionem, compedum antiquorum mediique ævi cancellorum vindicem induxit: Reformationis etenim tota vis interna, illius veluti forma ac anima, auctores nostros si audias, libertas est, libertas sentiendorum, profitendorum ac docendorum, libertas publica ac privata, libertas in singulis institutis illorumque vivendi ac vigendi ratione: in Universitatibus igitur, earum doctrina, magistris, discipulis, moribus, pro præcipuo horum institutorum in hominum societate loco, vere præcipua.

Profecto, licet laudis a se philosophiæ ac theologiæ scholasticæ tributæ vim auctores contra ipsum hujus doctrinæ finem intentum, obsequium videlicet Ecclesiæ per impensissima ingenii servitia præstandum, convertant, gaudere tamen licet nos ita liberari a terrore incusso per ea quæ supra dixerunt de obscurantismo et hebetanti doctrina, cui subjiciatur qui protestanticarum Universitatum absolutæque quamlibet doctrinam proferendi libertatis rationes, quas illarum esse contendunt (1), suas facere non sit paratus. Crescit vero hocce gaudium ex concessis circa libertatem, nunc desideratam, tunc possessam, constitutionis propriæ, auctoritatisque et ponderis in negotiis publicis ac scientiæ, in conferendis summis docendi ac doctrinæ honoribus et magistratibus, in docendi doctorum proprio jure. Quod vero ad ipsam de doctrinæ methodique scholasticæ efficientia sententiam spectat, et ad Universitatum pro adducenda ac veluti promovenda pseudo-reformatione seculi XVI operam, distinctione aliqua simplici totum negotium ultro perspicitur.

Doctrina hæc et methodus in philosophicis quidem omnis generis quæstiones liberrime sane tractabat atque tractat, et in illis ingenium exercet, sed hac conditione ne unquam veritates quas docet Ecclesia, utpote altioris ordinis, divini nimirum, certitudine constantes, oppugnet. In theologicis vero iisve quæ de catholica Religione sunt non habet nisi finem fundamenta Fidei agnoscendi, declarandi quantum fieri potest Fidei dogmata, quæ circa ipsa mysteria intelligi possunt rationibus quæsitis congruentiæ investigando, tollendo

(1) *Contendunt*, inquam. Notum enim est qua sollicitudine in ipsis mixtis, ut vocantur, Universitatibus aditus cathedræ Catholicis præcludatur, quantis vero vexationibus et insectationibus sæpissime exponantur qui catholico animo ac verbo ibi docent.

ratione ea quæ ratio minus instructa sæpe opponit, veritates posteriores quæ ex revelatis singulis vel mutuo collatis decurrunt stabiliendo; verbo, totum veritatum quæ ad Religionem spectant thesaurum, quantum fieri potest nititur agnoscere, tueri, in lucem proferre, communicare (1). Hæc studia, hos conatus Ecclesia benignissime semper suscipit, omni genere encomiorum et confirmationis tam disciplinam ipsam quam ipsius præcones prosequendo, illamque ut nobilissimum saluberrimumque opus commendare non desiit (2).

Hæc utique philosophiæ ac theologiæ methodus, vel in

(1) Tres sanctos hic adduxerim S. Hilarius, cujus locum S. Thomas circa hæc et ipse laudat: « Et insere te, » inquit, « in hoc secretum, » et inter unum ingenum Deum et unum unigenitum Deum, arcano » te inopinabilis nativitatis immerge. Incipe, procure, persiste; etsi » non perventurum sciam, tamen gratulabor profecturum. Qui enim pie » infinita persequitur, etsi non contingat aliquando, tamen proficiet » prodeundo (a). »

S. Anselmus vero hæc tradit: « Nullus quippe christianus debet disputare quomodo quod catholica Ecclesia corde credit et ore confitetur » non sit; sed semper eandem fidem indubitanter tenendo, amando et » secundum illam vivendo, humiliter, quantum potest, quærere rationem quomodo sit. Si potest intelligere, Deo gratias agat; si non » potest, non immittat cornua ad ventilandum, sed submittat caput ad » venerandum (b). »

S. Thomas eandem sententiam sequentibus tuctur atque declarat: « Humana igitur ratio, ad cognoscendum fidei veritatem, quæ solum » videntibus divinam substantiam potest esse notissima, ita se habet » quod ad eam potest aliquis veras similitudines colligere; quæ tamen » non sufficiunt ad hoc, quod prædicta veritas quasi demonstrative vel » per se intellecta comprehendatur. Utile tamen est ut in hujusmodi » rationibus, quantuncumque debilibus, se mens humana exerceat, » dummodo desit comprehendendi vel demonstrandi præsumptio; quia » de rebus altissimis, etiam parva et debili consideratione, aliquid posse » inspicere jucundissimum est (c)... »

(2) Cf. ex. gr. SS. D. N. Pii IX lit. 21 dec. 1865 ad Archiepiscopum Monacensem.

(a) *In libro de Trinit.*, l. II, c. 40.

(b) *De Fide Trin.*, c. II.

(c) *Summa contra Gentes*, c. VIII.

quæstionibus rationis mere naturalis, vel in dogmatis tum declaratione tum propugnatione, circa celsissimas difficilimasque considerationes, ubi tenuissimis distinctionibus pro re bene perspicienda et errore vel vitando vel redarguendo opus est, sæpissime versatur; pars autem ea longe principalior erat totius mediæ ævi disciplinarum philosophicarum ac theologicarum studii. Ingenii aciem quum maximam exigeret, exercitationes variæ, fere omnes per modum utrimque discutiendi quæstiones, toto studiorum tempore illam indefesse sæpiebant, in hasque, quum nil intellectui sit jucundius quam nobilissimi generis veritates perscrutari, ventilare, quantum fieri potest intueri ac tueri, vero fervore homines rapiebantur.

Sub Ecclesia, sub Fide igitur et pro illius amplissimo bono quantum fieri possit omnia scrutari ac declarare doctrinæ nostræ scopus est et erat, sed ut amplissima bona majoribus sunt abusibus exposita, ita mens altissima quæ intuetur, exerceturque in illis, si humilitatis ac piæ in Ecclesiam subjectionis studium mittat, facile vel intellectus sereno lumine vel cordis recto sensu orbat, prorsus immo aliquando decidit, ac quæ in Fidei obsequium erant proposita ac suscepta, in illius detrimentum vertere potest: en variarum hæresum locum ac originem. Si vero jam Fides multorum in hominum societate animos ex variis rerum adjunctis naturalique corruptela minus strenue possideat, moresque complurium si minus firmi, si pravi facti sint, tunc istud investigationis studium, in ipsis ab Ecclesia abscissum, contra illam non raro insurget, et latius poterit latiusque vagari. Ut duobus scholasticis concludamus verbis, scholastica itaque doctrina Ecclesiæ formaliter tota fuit dicata, occasionaliter aliquibus præbuit locum extremum prævaricandi decidendique ab ipsa.

Ratione haud dissimili ea se habent quæ Rotteck et Welcker de Universitatum efficientia in convellendam Romani Pontificis auctoritatem totiusque ordinis ecclesiastici asiaticam et perversam constitutionem effantur. Verum quidem est nonnullos Universitatum doctores legatosque seculis pseudo-Reformationis seculo proximis Romani Pontificis infallibile de rebus Fidei ac morum iudicium infitatos fuisse, illum conciliis inferiorem pronuntiasse, et ab his Romanos Pontifices posse deponi propugnasse. Quinimo verum est, aliquot doctores sic agentes videri posse partes fere gessisse Universitatum, saltem si locum eminentem spectes quem in illis obtinebant. Sed si quis tempora consideret, ipsumque illorum doctorum se gerendi modum, tantum abesse perspiciet ut infensum Ecclesiæ animum habuerint, ut potius inconsiderato quidem, nimis vehementi, superbia aliquando commisto, sed tamen ex eorum voluntate in Ecclesiæ bonum nitente studio ducti ita egerint. Omnium tunc animi, cónatus et vota eo tendebant ut schisma tolli posset. Pontifex vero exstabat contra Pontificem, resque in mediis ævi turbis eo perspicuitatis nondum devenerant, ut fidelibus absque dubio de vero Pontifice constare posset: ipsi aliqui Sancti in diversas ab invicem sententias abierunt (1). Varia tamen pro componendo per ipsorum duorum antistitum voluntatem et facilitatem dissidio frustra tentata fuerant, et quum duo essent, vice unius, summi iudices et inter eos ipsos de eorum auctoritate lis moveretur, non pauci omnia studia eo contulerunt, ut aliquod competens indicaretur tribunal, cuius auctoritate id imponeretur, quod ab illorum leniori pacis obsequio obti-

(1) Fere supervacaneum videtur notare isto tempore Romanum Pontificem nequaquam formaliter negatum fuisse ut caput Ecclesiæ; dubium versatum fuisse circa hominem qui ipse verus esset Romanus Pontifex. Institutum ipsum sub lite non erat: schisma erat materiale, non formale.



neri non poterat. Hinc omnes illæ controversiæ de infallibili judicio Pontificis, de superiori aut Pontificis aut Concilii auctoritate, ex animorum naturali in prosequendis arduis negotiis æstu aliisque hujusmodi causis non absque gravi scandalo aliquando motæ atque propugnatae. Ramus igitur sæpe malus ex commistione malorum humanæ rei propriorum elementorum, radix vero sancta; et si inconsiderata quædam contentio Pontificem minuere minabatur, illud non erat nisi ut intacta et sancta remaneret Ecclesia.

§ 4. J. A. Möhler.

In jam laudatis *Considerationibus circa relationem historicam intercedentem inter Universitates studiorum et rempublicam*, cl. Möhler sub alio respectu Universitates considerat, illarumque cum republica vices pro more suo subtili ac ingenioso declarat.

Primum quidem notat, quamcunque rempublicam, donec ad sui culmen pervenerit, eo interne pelli, ut se ipsam perficiat, a gradu quodam inferiori ad altiorem semper ascendendo. In hoc vero probe observandum est, cujusvis ejusmodi progressus temporis ope assequendi rationem in ipso rerum anteriori statu, velut in germine et causa quam virtutalem dicerent scholastici, vere contineri. Hoc posito, cl. auctor dicit Universitates et quæ ab ipsis sunt peragenda, non nisi in maturioribus jam civitatibus exoriri posse. Quævis enim civitas dum exoritur primo loco internam externamque suam ipsius securitatem in tuto collocare debet, varia, collectantia sæpe, quæ sibi insunt elementa ordinare, in semetipsa paullatim recte constituenda tota occupari. Quod dum temporis lapsu fit, multæ ideæ novæ ac cognitiones, dissipatæ primum, neque altioris, mox tamen

nobilioris generis, circumferuntur, congregantur, conformantur, ævoque semper progrediente, in disciplinas jam et artes, earumque scientiam coalescunt; falsissime quis doctrinæ solius in vitam, negata vitæ in doctrinam, vim profiteretur.

Universitatum vero est (1) omnes has notiones cognitionesque sparsas, per gentis vitam, labores, pericula, certamina interna vel externa præparatas in se colligere; collectas autem et concoctas in cunctas reipublicæ partes remittere. Quam infinitis fere moris, priusquam hæc instituta enasci possint, opus sit, ex consideratis singulis disciplinarum generibus el. auctor ostendit; quantis, ex. gr., ut ex rudi sui que veluti nescia forma jus ipsum certas primum rationes certosque modos induat, naturali quodam suo loco cuncta, et privata et publica, collocet, et ad tantum sui ipsius proventum, tantam adeoque claram, quam dicam, in populo sui conscientiam evectum sit, ut vel de conscribendo illo colligendoque in corpus aliquod cogitetur.

Exinde autem Universitatum cum republica totaque reipublicæ vita quam maxime intimæ rationes colligendæ sunt. Auctori nostro hæc immo verba non sufficiunt: « Secundum » hunc, inquit, quem vidimus, progressum, Universitates » non rationes solum habent cum republica, quasi extra » illam essent constitutæ, ambæque juxta invicem tantum » existerent: potius inter nobiliora reipublicæ corporis » membra ut partes ipsius recensendæ sunt, ita quidem ut » si vera reipublicæ notio per partes explicaretur, Univer- » sitas ut membrum ipsius constituens reperiri deberet. Ut » enim oculus habere intimam cum hominis corpore rela- » tionem parum definite diceretur, quum ad corporis ipsius

(1) Cf. supra, p. 53.

» notionem perficiendam oculus requiratur, ita etiam parum  
» recte Universitatis ad rempublicam relationem modo  
» prædicto quis exprimeret. Academicæ enim quæ dicun-  
» tur disciplinæ, quum repercussus tantum splendor sint et  
» manifestatio excelsior universæ illius, quæ in republica  
» existit culturæ, quomodo quiddam esse possent a repu-  
» blica separatam, quomodo gloriari possent de sola aliqua  
» juxta rempublicam existendi ratione? Missa fiat universa  
» illa reipublicæ cultura, et ne cogitari quidem potest Uni-  
» versitas. Ad pulcherrimas, porro, animorum culturæ  
» proprietates pertinet, ut ipsa de asservanda se et, quam  
» maxime fieri possit, amplianda vere sollicitissima sit.  
» Quando igitur in quadam republica ingeniorum cultus  
» bonum commune factum est, tunc illa respublica, ut talis,  
» secundum quamdam ipsi rerum naturæ inhærentem neces-  
» sitatem, cultus illius curam negotium suum faciet; — aliis  
» verbis, doctrinæ cultusque illius instituta partes fiunt cor-  
» poris et compaginis reipublicæ. »

« At vero, » ita pergit auctor, « contigit hac in re quod  
» miremur, ut nempe antiquissimæ Universitates maximam  
» partem per varia secula prorsus non essent instituta  
» reipublicæ; quare ingenium individuum cum genio his-  
» toriæ ex inopinato pugnare reperitur. Quis erit hujus  
» repugnantæ solvendæ modus? »

Quæstionis enodationem nimis facilem auctor indicat, quum, comparatione instituta inter disciplinarum in illis Universitatibus declarationem et ævum istud ipsum, isti locum huic fere inferiorem tribuit. Disciplinas illas tunc longe maximam partem nonnisi extraneis quibusdam reliquis a remotis et remotissimis temporibus traditis constitisse docet; ævo vero quod tunc erat vel minimam juxta illas producendi vim prorsus fere abjudicat. Hoc de juris-

prudentia dicit, hoc de scientia medicâ. Prior quidem, ait, jus populi (Romani) quod a multis jam seculis abierat, tractabat; jus vero publicum, altiori modo tractandum, quum ipsæ publicæ rationes in incunabulis tantum essent, fere non exsistebat, jus autem civile proprie dictum (*Landrecht*) se solummodo effingebat, nec ex ulla parte maturum; scientia vero medica, nihil, si fieri poterat, immutato, traditiones solum antiquissimas Græcorum, Romanorum et Arabum servabat docebatque. Pergit autem ut sequitur:

„ In theologiæ quidem, quæ cum philosophia unum erat,  
 „ tractatione, non tantum characterem proprium, præ aliis  
 „ disciplinis majorem, sed vere in se insignem detegimus;  
 „ tradita tamen fuerat et culta in institutis quæ a vita  
 „ publica veluti præcisa erant, et certe cum hac quam  
 „ paucissimas liceret vicissitudines gerebant, atque tum  
 „ præcipue excellabant in ampliandis disciplinis et doctrina,  
 „ quum in abditissimam solitudinem secederent.... Neces-  
 „ sario separata et inaccessa (*claustra*) esse debebant si  
 „ universim aliquid vulgo præstantius esse studerent; quem-  
 „ admodum etiam postea eadem necessitate eorum *sepa-*  
 „ *ratio* cessavit, id est nihil ipsa sibi *peculiare* exhibebant,  
 „ sed in rem communem dissolvebantur, quando doctrina-  
 „ rum cultura facta fuerat communis. His ita se habentibus,  
 „ istorum theologiæ institutorum nec respublica ullam rationem habebat. Sed præterea ipsa theologiæ materia,  
 „ Evangelium scilicet sub specie doctrinæ ecclesiasticæ, a  
 „ pluribus jam seculis intra suos terminos sibi vivebat,  
 „ antiquior tempore quod tunc erat; et novæ doctrinam  
 „ evolvendi methodi, quæ recentis fuissent temporis atque  
 „ efficacem in res universas influxum exercuissent, nondum  
 „ erant exortæ. Qui igitur respublica, ut talis, Universi-  
 „ tatem produxisset? Respublica scilicet, quæ theologiæ,

» philosophiæ , jurisprudentiæ ac medicinæ , et maxime  
» doctrinæ de reipublicæ œconomia tractantis experts  
» erat?... Quum autem.... scientia ima civitatis nondum  
» penetrasset , quum nullo adhuc modo intimum ipsius , et,  
» ut ita dicam , personale patrimonium esset , instituta quo-  
» que scientiæ tradendæ destinata prorsus externas tantum  
» cum civitate rationes habere poterant , nullatenus vero  
» ipsi esse propria. Hinc Universitates diu fuerunt corpora  
» omnino propria sui que juris , administratione prorsus  
» separata utentia. Ne multa , ut scientia extranea adhuc  
» erat civitati , ita etiam quæ ipsam repræsentat Univer-  
» sitas : ut altior cultura adhuc erat extra civitatem , ita  
» instituta quoque culturæ. Disciplinarum desiderium non-  
» dum erat commune seu civitatis , sed privatum tantum ;  
» quare et Universitates quodammodo privata tantum erant  
» instituta. Ex republica non prodierant , unde neque in  
» reipublicæ corpus erant receptæ....

» Respublica igitur , secundum ipsas quas cum disciplinis  
» habebat rationes , exteriori tuendi jure contenta erat : ne  
» exteriores quidem subsistendi opes porrigebat.... Pro bono  
» quod quis non æstimat , nec sumptus suscipit.

» Cur res ita procedere potuerint causa erat duarum  
» societatum simul existentia , quarum una , nempe Eccle-  
» sia , multa secula pervadentem historiam ostendere pote-  
» rat ,.... et in mediis etiam rebus vel maxime adversis  
» doctæ culturæ desiderium et indigentiam semper custo-  
» dierat , dum altera , scilicet respublica , e magnis rerum  
» eversionibus laboriose vix prodiens , teneros adhuc annos  
» agebat. Inde in adolescente etiam republica cernere sub-  
» inde erat instituta quæ nonnisi in virilem maturitatem  
» adepta jure expectari possunt ; inde etiam contigit ut  
» hæc instituta , in sinu civitatis existentia , civitatis tamen  
» instituta non essent....

» Verumtamen fieri neque licebat neque poterat, ut  
 » scientia civitati maneret externa : revera semper magis et  
 » profundius in istam penetravit.... Quoad hæc justissime  
 » sustineri posset Universitatum, ipsis licet insciis, ope-  
 » ram eo tetendisse, ut tum quidem scientiam in ipsam  
 » imam civitatis vitam inducerent, tum vero etiam sese ab  
 » injucunda illa separatione liberarent, intrarentque in  
 » ipsum civitatis corpus et compaginem.... Continuo magis  
 » ab eo scientia recessit, ut mera esset ex antiquis tempori-  
 » bus accepta traditio;.... manifestius in dies vivum, pro-  
 » prium simulque longe uberiores existendi modum in civi-  
 » tate assequeretur. Illius veluti civis facta est, et, semper  
 » profundiores radices in illam immittens, non e solis rebus  
 » præteritis, verum etiam ex ingenio ac feracitate præ-  
 » sentis temporis nutrimentum jam accipiebat. Locum de-  
 » nuo sibi vindicarunt eæ quas rerum natura postulat vitam  
 » inter scientiamque rationes, et, uti hæc ex universa quæ  
 » se pandebat vita hauriebatur, ita neque Universitas,  
 » locus quippe quo universa scientiæ dona congregantur,  
 » civitati extranea remanere poterat.

» Simul autem tempus advenerat, quo civitas ex propria  
 » sciendi copia Universitates ipsa creasset, ut etiam illarum  
 » jam existendi modus secundum intimam sui naturam a  
 » priori diversus erat, et sola illarum species externa ad  
 » antiqua tempora referri poterat. Universitas quæ nunc  
 » secundum substantiam suam in civitatis corpus non  
 » transisset, ab ævo abalienata, necessario huic fuisset  
 » postposita pertineretque ad dimissam jam culturam. Sub-  
 » stantiam vero accidentia semper sequuntur, interiorum  
 » rationem exteriora induunt. »

Hæc exsequens Möhler duos temporis nostri eventus ex-  
 tollit quorum maxima efficientia fuerit in rationes inter doc-

trinam et civitatem, atque exinde inter hanc et Universitatem intercedentes. Eorum primum notat perspicuam jam factam de civitate notionem, quum medio ævo de hujus essentia fere non haberetur nisi sensus et intima quædam ista opinio, quod ipsa sit societas divinæ originis; thesaurus quidem, sed tunc præclusus. Eum autem commenta scholæ quæ dicitur *du contrat social* aperuerunt. Hæc quum omnes societatis rationes ex quodam hominum contractu, nullo mutuo prius vinculo colligatorum, proficisci contenderet, per vim contrariam veritatis notio jam clara ex antiquo recto illo sensu emersit. « Inter maximos philosophicæ » disciplinæ de rationibus publicis progressus ille erat, quo » perspexit hominem secundum quælibet sui momenta non- » nisi in civitate excoli posse, ipsa itaque prisca et propria » sui constitutione eum magnæ illi communique in civitate » vitæ destinari; hanc igitur in necessitate tum mere » humana tum divina fundari. Accessit ulterior ipsarum » juris et contractus notionum intelligentia, qua hæ civi- » tatem jam existentem ponant.

» Per hunc progrediendi ordinem civitas ad veram rationis » notionem demum evecta est, ad plenam, ad sui scientiam, » sed illico quoque et eo ipso scientia ad civitatem et in » civitatem pervenit.... Postquam.... homines usque ad » rationis notionem, usque ad æternam civitatis ideam » ascenderunt.... postquam intellexerunt, data hominis, » et civitatis ideam dari, postquam probarunt istum fines » suos altissimos, ipsosque præ reliquis, non posse nisi in » civitate exsequi, civitatem igitur a scientia omnino re- » quirere: tum quidem, ex ipsa rerum natura necessitas illis » oriri debuit ut ipsarum mutuæ, eousque externæ, vices » in intimam rerumque essentiam attingentem necessitu- » dinem transirent.... Ad talem veluti plenam sui con-

„ scientiam provecta respublica ipsa quoque agnoscit sibi  
 „ doctrinam æstimandam, æstimandamque propter semet  
 „ ipsam esse.... Novit etiam civitas ejusmodi inter Uni-  
 „ versitatem universamque patriam subsistere rationem  
 „ educationis, tenerrimam igitur aliquam, homines cum  
 „ hominibus conjungentem; rationem inquam, in qua pecu-  
 „ liares respectus fundantur, et quæ academicum magistra-  
 „ tum, quantamcunque ex una parte cum ceteris civitatis  
 „ magistratibus similitudinem habeat, modo omnino singu-  
 „ lari considerare docet.... Aliis verbis: scit civitas illa  
 „ novis juribus nova jungi officia, altiorique sui ipsius  
 „ sui que finis scientiæ fortem, puram et generosam volun-  
 „ tatem comitem esse debere. „

Secundum magnum eventum qui in rem nostram efficaci-  
 ter egerit, indicat auctor politicas, quas vocant, *Constitutio-  
 nes*, propter præclarius majusque inde factum momentum  
 libertatis quæ ipsa quoque homini ingenita est, ac omnibus  
 ejus, nobilioribus præcipue, rationibus veluti necessaria.  
 Sentiebatur ubique pro libera expeditaque scientiæ cultura  
 certam quamdam libertatem exteriorem postulari. „ Quanto  
 „ vero rudiores erant populi, tanto rudiores quoque cancelli,  
 „ quibus contra suam barbariem scientes circumdabant.  
 „ Quanto cultiora tempora fiebant et civitates, tanto amplius  
 „ illorum cancellorum rudes formæ in mitiores et subtiliores  
 „ immutatae sunt.... Sicut igitur absque dubio scientia quo-  
 „ que anterioribus Christianæ historiæ seculis libertatem  
 „ suam in tuto collocare ita solum poterat, ut veluti extra  
 „ civitatem se sisteret, ita nunc, quum libertas vera ac  
 „ legibus facta in civitatem transiisset, ipsa quoque scientia  
 „ cum illa intime uniri debebat. Scilicet *Constitutiones* intrin-  
 „ secam priorum inter civitatem et doctrinam, ideoque  
 „ inter civitatem et Universitatem, rationum mutationem



„ inducere necesse erat. In civitatibus *Constitutione* caren-  
 „ tibus vix concipi potest Universitas quæ civitatis ipsius sit  
 „ institutum; contra vero in civitatibus ea instructis vix  
 „ concipitur Universitatis a civitate separatio. Sic omnino  
 „ immutatum temporum ingenium paullatim cuncta penetrat,  
 „ cuncta alio novoque more constituit, neque quidquam  
 „ ipsius invictam virtutem effugere potest. In civitate con-  
 „ stitutionem habente Universitas mediæ ævi rationes asser-  
 „ vans nonnisi ex socordia persistere posset, continuaque  
 „ quædam criminatio exstaret, non vere et re vigere con-  
 „ stitutionem. Si constitutio jam in vitam transierit, Univer-  
 „ sitas, ut civitatis institutum, certa eaque ingenii et animi  
 „ ratione, infinite liberior ac prius esse debet; quod vero si  
 „ locum non haberet, id non ut profluens ex tali dogmate  
 „ sed ut effectus alicujus contentionis constitutioni contra-  
 „ riæ qua dirigerentur magistratus hæc negotia moderantes  
 „ considerandum foret. Sed simul ad mentem revocandum  
 „ esset nonnullam quoque antiqui moris Universitatem ali-  
 „ quoties per ætatem a somno fuisse prohibitam, et cum  
 „ specie libertatis externæ gravissimum omniaque oppri-  
 „ mens internum imperium egregie sociasse. „

Supremum quod toti huic præclari auctoris disserta-  
 tioni momentum subest, repetendum videtur a notione quam  
 ipse de civitate suscepit, et quam, salvo honore tanto  
 nomini debito, falsissimam et perquam perniciosam esse  
 existimamus.

Nexum qui inter gentem et auctoritatem quæ illi præest  
 subsistit intimum esse debere ultro damus, et quo intimiores  
 sint inter utramque rationum et studii mutui vicissitudines,  
 eo solidiorem effici tum pacem tum libertatem singulorum  
 et publicam. Libenter igitur profitemur magna et altiora  
 hominum societatis commoda, si sibimetipsis modo vere

conducenti providere nequeant, aptissime opibus et adminiculis publicis adjuvari. Præterea, quum ejusmodi commoda non singula omnino separata subsistant, sed mutuis variisque necessitatibus ad invicem referantur, hominesque qui illis vel inserviunt vel quibus ipsa præcipue destinantur nec ipsis nec sibi solis vivant, sed in alios homines et res alias permultis astringantur officiis vel juribus gaudeant, bene a lege certi limites et rationes externæ præscribuntur, quibus servatis ordo rectus, justitia mutua, publica pax in tuto ponantur. Immo ulterius procedentes, omnino non negamus commoda ejusmodi, si sibimetipsis ex hominum libera vi ac virtute regendis ac administrandis pro rudiori culturæ statu vel pusillo hominum ingenio imparia sint, a lege ordinanda, a potestate publica procuranda et gerenda apte assumi. Hominum enim societatis est, vel religiosæ vel tantum humanæ, eis homines instruere, quibus naturam suam universam, et privam et socialem, expleant, si sponte sua id præbere ipsi non possint. Sed hæc sufficiunt. Paternæ exinde nobis sunt potestatis publicæ cum gente rationes; quinimo libenter illam videmus, licet in fastigio suo stabilem ac firmam, ex gente tamen ipsa vires, auctoritatem ac moderamen assumere, gentem veluti in illam excrescere. At vero unum idemque non sunt: aliud est connecti, aliud confundi, aliud quod auctoritate protegitur, aliud quod regitur imperio, aliud lex, aliud libertas.

Ejusmodi potestatis publicæ pro ipsa gente acceptio nobis videtur esse momentum in quo cl<sup>mi</sup> Moehler tota dissertatio vertitur.

Nova autem non est hæc potestatis publicæ pro natione omnibusque nationis bonis et commodis acceptio. Aliquid quinimo ipsi subest illius cunctis hominibus insiti studii formam rationemque perfectam externam inveniendi ac sta-

tuendi, quæ modo velut absoluto rationes illas ac commoda rerum exprimat, quibus mens ipsa ipsiusque sollicitudo occupatur. Tunc, ultra privas incertasque singulorum opiniones ac sententias, ut notio ac ratio aliqua communis atque superior lex se illi exhibet per potestatem publicam firmata : lex, quæ decreto generali ideas circa quæ ejusmodi commoda et notiones versantur, omnibus jam sacras, observandas proponat : potestas publica, quæ ideis illis vim suam in hominum societate et usu tutam ac sanctam servet. Lex et potestas fiunt ideæ generalis illius, — bonorum, rectorum, idoneorum — sanctio et auctoritas : bonum et rectum jam in hominum societate modo vere publico, omnibus patenti et perspicuo, omnium bono conferenti, a privatorum vicibus et fluctibus libero, absoluto vivunt : lex et potestas regnum constituunt ideæ de vero et bono in hominibus latentis.

Hæc igitur legis et potestatis consideratio suberat veteri illi Aristotelis doctrinæ de potestate publica. Idea ejusmodi omnibus, sed modo incerto, communis, vere divina atque humana, idea hæc rationum et commodorum si alicubi existit in aliquo homine pura, sana, non admixta rerum et ingeniorum vulgarium pravis additamentis et erroribus : homo iste signum et jus in se fert potestatis qua idea ipsa obtineat, dux est præfinitus gentis suæ, ut liberum suum et absolutum jus *idea* in illam exerceat. Attamen Aristoteles, vir in omnibus pragmaticus, bene videns varias respublicas per seipsas administrari, nec jure hoc cedere velle favore hominis *ideam* ita possidentis, *Ostracismum* tali civitati in ejusmodi hominem exercendi jus tribuit, ut secundum veterem juris præscriptionem nec civitati invitæ beneficium detur, nec turbarum tamen internarum perpetuus timor sit.

Necessarium autem in ejusmodi sententia non est ut unus

omnino unicusque sit *ideæ* interpres. Quinimo illa per singulos homines aliquo saltem modo sparsa, omnium rationes et commoda perstringente, multo dignius videtur ut in legem transeat et potestatem per nationis veram communemque operam. Inde in civitatibus communiter vocatis *respublicæ* et in regnis quæ dicuntur *constitutionalibus* illius imperium nil minus obtinere potest, ac in terris absolutæ dominationis. Auctor noster solis constitutionalibus illis popularibusve regnis ejusmodi rerum statum, quo unum idemque sit et potestatis et civitatis notio, proprium esse censet. Verumtamen istiusmodi doctrina formam legalem pro perfecta atque *ideali* constituens, in cujuscumque dominationis, sive tyrannicæ, sive mixtæ, sive popularis terris vigeat, libertatis ipsam notionem liberamque civium vitam evertit atque trucidat, commoda vero et rationes quibus formam perfectam induere destinatur turbat atque enervat, homines ipsos vel perpetuos esse legum eversores et reformatores, vel inania mancipia, absque vi, libertate et dignitate efficit.

Cl. Möhler dissertationem suam anno 1829 conscripsit. Tempore illo circa mediæ ævi cultum et constitutionem multa nondum prodierant, quibus altior de illis meliorque opinio invaluit. Porro circa disciplinas credimus eximium scriptorem ex eo non parum errori fuisse obnoxium, quod methodus scientiarum tractandarum omnino communis tunc erat, nec parva commoda exhibens, ut certus aliquis liber seu auctor, bene notus, multis aliorum jam laboribus et conatibus illustratus et comprobatus prælectionibus veluti materia prima supponeretur. Ita auditoribus aliquid certi semper præsens erat; maximam tamen propriamque in tractanda scientia libertatem et investigationem ideo non fuisse exclusas, id ex doctrinæ scholasticæ exemplo supra jam vidimus.

§ 5. *F. J. Busz, Hasel, J. M. Häusle, Fr. Hettinger.*

Cl<sup>mi</sup> Busz, Hasel et Häusle in operibus et dissertationibus jam supra laudatis, Fr. Hettinger in oratione quam habuit quum Rectoris Universitatis Herbipolensis munus suscepit (1), multa luculenter de Universitatibus disseruerunt. Toti in exponenda et vendicanda catholica rei contemplatione sunt. Varia quidem de discrimine inter vetustissimas recentioresque Universitates tradunt; iis tamen solis paullo immorabimur diversitatis speciebus, quas inter catholicas et protestanticas vel in ipsis catholicis terris a pleno jure Ecclesiae subductas existere censent, rationem propriam summumque Universitatum juxta eos momentum simul aliquatenus collecturi. Aliquibus forsitan cautis, aliquibus additis vel notatis, eorum sententiam breviter referentes nostram fere mentem eodem ipso negotio exhibebimus.

Rem altius auctores nostri repetunt. Considerantes excolendi homines opus proprie esse in illuminando intellectu per verum, in voluntate adducenda ad bonum et in hoc roboranda, verbo, in evolvendis, conformandis, exercitandis et firmandis omnibus viribus tam inferioribus quam superioribus et religiosis, quibus hominis natura ipsaque ejus dignitas constituitur: illo opere veluti peragi et continuari divinam animarum creationem dicunt (2). Hinc autem altissimae auctoritatis, divinae nimirum, notam cl. Busz eruit, quum Dei ipsius opus sit quod continuetur, post lapsum quidem non sponte, sed per alios, auctoritate tamen ad hoc praeditos, et Deus, ad cujus similitudinem homo factus est, exemplar sit ipsius ab homine appetendae perfectionis. Hoc

(1) *Der Organismus der Universitäts-Wissenschaften, und die Stellung der Theologie in demselben.* Mainz, 1862.

(2) Busz, *Die Reform*, p. 15 s.

auctoritatis, auctoritatisque vere divinæ momentum præcipuum est in quo instat cl. auctor. Illud vero, ut ex positis jam concludere est, non a solo perficiendæ voluntatis labore repetit: ipsi quoque vero naturali et unicuique disciplinæ intimum quoddam subesse religiosum momentum cl. Busz ostendere conatur (1), atque ejusmodi quidem quo deficiente neque ultimam suam significationem, neque intellectui et menti humanæ proprium maximumque suum commodum et valorem exhibere ulla possit. Idem argumentum maxima sollertia Hettinger suscipit, et loca ex ipsis paganorum scriptoribus, Platone præ ceteris, de divino sciendi scientiarumque momento laudat, quæ animum vere rapiunt.

Cl. vero Busz, innisus quibusdam gravissimis inter doctrinam Ecclesiæ et Protestantium discriminibus, præcipue circa statum hominis tum ante tum post lapsum, illiusque vel affirmatam vel negatam libertatem et ad bonum aptitudinem, circa magisterium divinum Ecclesiæ, circa Christi gratiam, circa justificationem, atque hujusmodi luce illustrans singula disciplinarum genera, devenit ad statuendam maximam diversissimamque vim quam, in illis considerandis et pertractandis, vel dogmata Ecclesiæ vel Protestantium placita exercent (2).

Veruntamen non de doctrina tantum, de moribus quoque cura habenda est; quam diversa in his exposcant Ecclesiæ et protestantismi rationes in utroque opere rursus exponitur (3), nec desinit cl. Busz usquedum circa omnes fere vel internas vel externas Universitatum rationes discriminis Religionum decretoriam efficientiam patefecerit (4).

(1) *Der Unterschied*, p. 269-317; *Die Reform*, p. 315-339.

(2) *Der Unterschied*, p. 317-381, 388, 399-406; *Die Reform*, p. 339-393.

(3) *Der Unterschied*, p. 363, 386; *Die Reform*, p. 407-415.

(4) *Der Unterschied*, p. 364, 363, 378-393, 406-412; *Die Reform*, p. 393-417.

Ex vi propria protestantismus, si sibi constet, scientiis infensus ostenditur, quum radicitus corruptam doceat ex peccato originali totam animam, intellectum et voluntatem, omnesque actus hominis ex se peccata constituere. Mira vero loca circa scientiæ pretium vel potius malitiam ac vim nocendi ex principibus pseudo-Reformationis patronis auctor noster laudat, quibus probatur hinc quidem quemnam revera ipsi in scientias infensum animum gesserint, illinc vero quanta de Catholicis calumnia, quo de Protestantibus saltem errore, religio protestantica ipsiusque fautores contra Ecclesiam et præ ipsa disciplinarum, litterarum atque artium Mæcenates exhibeantur. Sed verbis addit facta. Ex ipsorum Protestantium testimoniis lapsas ubique jacentesque ingenii et mentis divitias atque instituta, dejectum Universitatum splendorem, dejectam libertatem, corrutam omnino juvenum studentium morum disciplinam, statum proximum barbariæ haud ita post invalescentem Reformationem istam atque ex ipsius efficientia ostendit (1).

Ex prædictis perspicitur pseudo-Reformationem debuisse maximam vim in totam interiorem Universitatum constitutionem et in varias ipsarum rationes exercere. Maxima quippe ac maxime decretoria ipsius efficientia ea ipsa fuit, qua Universitates ab Ecclesia separans, hanc ipsam, ipsas vere informantem virtutem atque potestatem, ab illis sustulit, vitæ illarum internæ atque externæ veluti animam. Hinc manarunt omnes alii effectus. Filiæ Ecclesiæ Universitates usque eo vere matrem victu, cultu, studio referebant. Vere *universalia* erant instituta doctrinæ atque disciplinæ. Omnes scientiæ partes colebant ex fine quidem proximo scientiæ ipsius, bonorumque quæ singulæ disciplinæ variis ipsarum

(1) De his omnibus vide præcipue Busz, *Die Reform*, p. 215-253 et p. 259-281.

cultoribus afferunt; ex fine autem ultimo in confirmationem Fidei, ad roborandos animos fidelium, in profectum et splendorem Ecclesiae. Inde, quoad institutionis docendique morem, ut Ecclesia doctrinam certam tuendam suscepit illique devovetur, unde sit novit et quo vadat, et quibusnam certis ab hominum arbitrio non pendentibus bonis illos instruat, ita Universitatum antiquarum tota ratio, praeter studium et defensionem doctrinae Catholicae, notam illam alicujus certi et firmi, quod singulorum magistrorum vel doctorum institutioni subesset, praese ferebat. Occasione cl<sup>i</sup> Möhler hujus rei exemplum vidimus, nempe singulis fere disciplinarum *praelectionibus* adhibitum certum aliquem auctorem, omnibus notum, cujus praestantia publice comperta erat. Sic catena quadam exteriori omnes singularum disciplinarum in singulis mentibus progressus veluti connectebantur, fundamenta unicuique jaeta erant quibus porro ipse superstrueret, neque summa libertas et spontanea docendi vis atque virtus, investigatio veritatis ejusque nova tuitio, inde pro quovis bono sanoque ingenio excluderentur. In protestanticis vero Universitatibus ex ipsius protestantici decreti natura omnia illa *positiva* fundamenta brevi evanuerunt, unusquisque sibi suum proprium *systema* quaesivit atque extruxit, gloriam in eo reponens et inde quaerens, quod suo novoque ordine ac more res consideraret atque diserneret: *subjectivismus* absolutus ita invaluit, qui quam jejuna sit et jejuna vulgo proferat vix dici potest. In singulis vero disciplinis haec certi ac sibi constantis fundamenti abscissio mox ipsas disciplinae partes adorta est, neque quidquam in eis a protestando salvum ac incolume remansit. Primum igitur profundiorum ex separatione ab Ecclesia inter utriusque generis instituta discrimen est *positivi*, quod vocant, in catholicis quidem cultus, in protestanticis vero ruina.



Quod vero de scientia, idem de moribus dicito. Profecto turbas omnis generis in veteribus mediæ ævi Universitatibus, neque nimis raro, locum habuisse negari non potest. Attamen oculus, ut ita dicam, tam Universitatis quam Ecclesiæ his intendebat; multa instituta sub nomine bursarum ac collegiorum tam recipiendis ac alendis quam sub certa disciplina Religionis, morum et scientiarum continendis et ratione aliqua altiori colendis scholaribus destinabantur. Innumeræ mentis exercitationes, ipsæque acerrimæ, ingenii aciem, animorum fervorem ac studium excitantes, tum rationis vigorem, tum mentis in scientiis occupationem, tum altiorum nobiliorumque bonorum amorem ipsamque animi disciplinam mire fovebant. Omnia fere hæc a protestanticis Universitatibus abierunt. Absolutam veluti libertatem pro summo earum ac studentium juvenum dogmate assumptam ex ipsis Rotteck et Welcker vidimus (1).

Aliud intime cum rebus novis cohærens discrimen et ex ipsa defectione ab Ecclesia proveniens illud erat, quod gradus et honores academici auctoritate Apostolica in Catholicis Universitatibus renuntiati ubique vigeant, et jus docendi *hic et ubique* ex vi propria conferebant (2), dum in protestanticis Universitatibus ejusmodi vis illis omnino deerat. Verum quidem est varios protestanticos principes vel oppidorum magistratus, quo quam melius possent huic inopiæ mederentur, Imperatorem adiisse, qui erectione Universitatis et graduum collatione concessa universalem vim ipse illis conciliaret, variasque tali modo fundatas fuisse protestan-

(1) Cf. p. 143 ss.

(2) Quoad limites huic juris exercitio per jus *nostrificandi* serius introductos, vidimus ejusmodi morem non negasse doctoris docendi auctoritatem, sed ut illam exerceat aliquam veluti adoptionis et satisfactionis in sinu aliarum Universitatum solemnitatem præfixisse. Cf. dicta p. 8 et 9.

ticas Universitates. Ejusmodi tamen auctoritate imperatoris vel ex ejus concessione facta graduum collatio tum intra solum protestanticarum Universitatum sinum valere poterat neque extra Germaniæ limites extendi, tum ulteriorem jam gressum constituit ad istam libertatis auctoritatisque propriæ dejectionem, quæ Protestantium Universitates mox immittit.

Universitates Catholicæ, culmen institutorum doctrinæ ac disciplinæ destinatarum in Ecclesiæ ac Reipublicæ bonum occupantes, iis de quibus loquimur temporibus inaudito honoris, dignitatis et auctoritatis loco habebantur in societate tam ecclesiastica quam civili. In publicis utriusque negotiis, in intricatioribus earum quæstionibus modo vere publico consulebantur a Conciliis, Romanis Pontificibus, regibus principibusque, consultæ vero sententias suas dabant; Conciliis quinimmo frequentissime participabant illisque usu quodam ac consuetudine earum doctores crebri intererant, cum negotiorum pertractandorum ac discutendorum non exiguo pondere. In patriæ vero angustiis et necessitatibus primas sæpe consilii, immo intercessionis partes gerebant. Hæc vero quoque pro ecclesiasticis quidem negotiis ex ipsa rerum natura, pro civilibus autem ex depressa quam mox videbimus protestanticarum Universitatum conditione evanuerunt. Hoc igitur discrimen aliud ac satis sane magnum est Universitates protestanticas a veteribus institutis Catholicis sejungens.

Hinc proditur alia differentiæ ratio. Exemplo Universitatis Lovaniensis constitit, quanta in omnes res rationesque suas auctoritate et libertate Universitates instructæ essent. Huic vero rerum statui Ecclesia vel maxime favit. Ipsi vidimus pro Alma Matre Lovaniensi Martinum V pontificem maximum ducem Brabantiæ fere cogere debuisse ut juris-

dictione sua in Rectorem Universitatis transferenda cederet. Quum autem duo secula, quæ pseudo-Reformationi antecesserant, turbis religiosis plena fuissent, et Universitates circa has componendas omnia, immo aliquando nimia vel non satis sana studia contulissent, e probato hoc in Ecclesiam animo, ex assumptis cum tanto ardore, non sine insigni auctoritatis pondere, etiam erga principes ejusmodi partibus, ipsa illarum publica vis et auctoritas, locus honoris et potestatis quo in republica habebantur, non parum auctus est. Mox autem invaluit illa pseudo-Reformatio. Universitates tota sua constitutione et vi Ecclesiæ studium ac devotionem præ se ferebant. Illarum aliunde, ut dictum est, maxima in civitate erat auctoritas. Nulla igitur machinatio, nulla vis, nullus dolus, quin tentari deberet ad illas in partes Reformationis tum trahendas tum, eo adductas, secure servandas. Inde jura illarum quo ipsæ vincerentur conculcata, quo vincirentur sublata maximam partem sunt (1). Ipsi quidem Rotteck et Welcker nos docere curaverunt de omnis generis propriæ libertatis egestate qua laborent Universitates Protestantium. Ecclesia erga Universitates se gesserat matrem filiarum maturarum, respublica post invalescentem protestantismum puellularum novercam.

Post protestantismum invalescentem, inquam; non simpliciter enim talis rerum eventus de protestanticis rebus publicis solis affirmandus esset. Contrafacta Fidei unitate ac communi populorum Christianorum publico vinculo, potestas civilis in pluribus regnis se ipsam esse unicam, quæ existeret, potestatem rata est, nec quidquam sive supra sive infra se respexit. Dirus ille *Cæsarismus* invaluit, ipsius *Cæsaropapismi* in protestanticis fere omnino, in catholicis

(1) Cf. dicta capite I, p. 11 seqq.

pro gravissimis rerum momentis rationem induens. Dulcem quem credebant auctoritatis absolutæ ac effrenæ fructum, turbis et bellis multiplicibus adjuti, exemplo protestanticorum catholici principes sub specie doctrinæ de omni potestate a Deo descendente falso prorsus acceptæ certatim carpserunt. Hi autem qui se putarunt quoad omnia ista sibi arrepta jura ex Dei gratia principes, nil amplius curaverunt quam Christi sponsam alligare, ipsiusque auctoritatem in cuncta instituta in regno existentia, ne hæc veteris libertatis aliquam memoriam illiusve resumendæ desiderium revocarent, destruere. De his quoque auctores nostri præclare disserunt; luculenter vero rursum inde efficitur quod in catholicis istis regnis non propter sed contra Ecclesiam totamque Ecclesiæ mentem ejusmodi Universitatum libertas et sui potestas sublata fuerit, nempe ex aliquo de illimitata auctoritate publica principio quod non nisi hæresis vel schisma in mundum a gentilitate liberatum denuo inducere potuerunt.

Universitates ab Ecclesia avulsæ illico characterem piarum causarum exuerunt, qui permultis modo aliquo principali, instituto scilicet ipsi, — pro remissione peccatorum, pro salute æterna consequenda, pro pace majorum fundato, — tributus fuerat, in compluribus vero per peculiare fundationes, bursas, collegia obtinebat. Solemnitates vero ac usus religiosi, qui omnes vincula erant cum Ecclesia, omnes vel abierunt vel naturam prorsus mutaverunt.

Tandem ex illa certa firmaque Ecclesiæ indole auctores nostri, neque injuria, deducunt, eam societatum ac nationum, quæ ejus culturam receperunt et moribus exprimunt, certis quibusdam altioribusque finibus certum quoque ac firmum exterius, quo solidentur ac securi subsistant, fundamentum præstare: Universitates catholicæ certa bona eorumque redditus possidebant, quos libere administrabant,

*positivam* sic in externis quoque rationem ac naturam recipientes.

Qui discrimina ex auctorum nostrorum relata et explicata sententia Universitates vel protestanticas vel ab Ecclesia delapsas a vere catholicis discernentia sedulo considerat, is ipsum earum profundius momentum ad ima totius instituti fundamenta referri absque labore perspiciet. Et revera, quando iidem scriptores hoc vere propriæ Universitatum indolis argumentum enucleandum suscipiunt, omnem earum vim, ultimum, nobilissimum ac vere proprium earum finem, immo rationem sub qua recte ac pleno jure Universitates dici queant, cum qua vel stent vel decident atque labantur, — hæc igitur omnia reposita esse in ipsarum vere religiosa mente docent, in intima et piissima ipsarum cum Ecclesia unione et in hanc obsequio.

Religiosum ejusmodi Universitatum characterem ut ostendant, instant argumentis a rerum natura et ratione petitis, et a modo quo res ab ipsis principibus secularibus populisque consideratæ fuerunt; toti sunt in demonstrando per multiplicia ac mutua inter Ecclesiam et Universitates vices, studia et obsequia Ecclesiæ illas ut originem, ita splendorem suum ac vigorem debere; ab Universitatibus vero, potestate aliqua extera ab ipsa non avulsis, Ecclesiam animi devotissimi pignora et fructus incessanter accepisse.

Qua quidem in re rursum Almæ Matris Lovaniensis insigne exemplum occurrit.

Universitatem a Summis Pontificibus fundatam, ab ipsis principibusque libertate summa et privilegiis donatam, auctam præterea (1) diversis domibus vel suis vel in ipsius corpus susceptis, vidimus veluti arborem plantatam secus

(1) Cf. p. 143 seqq.

decursus aquarum, radices immittentem in omnes venas et fundos soli Ecclesiae, haurientem ibi validum aequae ac uberem omnis generis succum e quovis modo Fidei consono considerandi atque tractandi doctrinam et disciplinam, distribuentemque rursus fructus scientiae in vitam et robur intellectus hominum tam terrestris quam aeterni.

Neque amica solum Religioni et Ecclesiae Universitas Lovaniensis erat, sed vere filia. Vidimus jusjurandum Fidei cunctis et singulis suis membris, ultra etiam quam Concilium Tridentinum et Romani Pontifices praescripserant, Universitatem imposuisse. Vidimus ab ipsis haereseos Protestantium initiis Fidei professionis, haeresum detestationis, non absque multorum discipulorum facienda jactura, membris suis omnibus, ut membra manere possent, necessitatem ab Universitate fuisse factam.

Quaelibet alacritas disputationum exercitiorumque scholasticorum aliorumve in variis Facultatibus, quantalibet libertas omni generi sententiarum ibi, aliarum Universitatum more, viguerit, iteratis vicibus et strictissime cautum vidimus ne quidquam quod Fidem vel remote offenderet sive in lectionibus sive in disputationibus proponeretur.

Sacra sua solemnia habebat tota Universitas, tam invocando Dei auxilio ac faustis omnibus inchoando studiorum annuo curriculo, quam pie deprecando pro pace membrorum suorum vel benefactorum vita functorum.

Sed religiosam ejusmodi notam, quam suam agnovit institutisque suis indidit Alma Mater Lovaniensis, fide sollicitudineque vere condignis tota sua in negotiis omnibus, in quibus partes aliquae Ecclesiae Religionique erant, agendi ratione praeferrere voluit. Sic ad Concilium Basiliense vocata, legitimum illud adiit, mox vero conciliabulum effectum, nullis mota precibus vel injunctionibus, fidei Petri fidelis,

dereliquit, neque ut rursus adiret induci potuit. Quæ vero præclaræ Lovaniensium fuerint in sacro Concilio Tridentino partes, quanto honore, quanta amicitia ibi fuerint recepti ac tractati, quanto domus Dei zelo, quanta doctrinæ copia, quanto in faustam rerum tractationem, canonum decretorumque definitionem tum pondere tum successu emicuerint, post Ill. de Ram longioribus verbis ut efferam superfluum videri posset (1). Ut vero illius decreta fideliter in Belgio servarentur vigili cura et ipsi effecerunt.

Quod vero Ecclesia testimonium dedit, id vel ab hæreticis ipsis non defuit.

Henricus VIII, tum minis tum auro diversissimas terræ Europæ Universitates eo adducere conatus ut matrimonium cum Catharina contractum irritum decernerent, Lovaniensem ne precibus quidem adire ausus est. Lutherus vero quam de illa habuerit animi persuasionem, et quantum senserit Lovaniensium auctoritatem dogmatum suorum propagationi se infensissimam habuisse et porro habiturum, omni turpissimoque conviciorum genere Doctores Lovanienses cumulans patefecit. Neque immerito eos sibi timendos credidit. Vix enim enata hæresi, doctores Lovanienses certis luculentisque emissis XXXII articulis contra ista dogmata Fidem orthodoxam asseruerunt; libros autem qui legentibus Fidei periculum inferrent indice quodam notavit Universitas et proscripsit; maxima solertia Scripturæ sacræ libros tum græca, tum latina, tum vulgari lingua, ab hæreticorum adulteratione vindicatos edidit; jusjurandum vero membris

(1) *Mémoire sur la part que le clergé de Belgique et spécialement les docteurs de l'Université de Louvain ont prise au Concile de Trente.* Bruxelles, 1841, in-4°. Ceterum circa singula fere nunc vix tangenda Lovaniensium Fidei argumenta in diversis ab eodem Ill. auctore conscriptis peculiaribus dissertationibus longe plura reperies.

suis omnibus de detestanda Lutheri aliorumque hæresi, de tenenda Fide Catholica impositum supra jam retulimus.

Sed quum Fidei Ecclesiæque res agebatur, non in hostem solum, sed in sinu quoque suo Universitas Lovaniensis magni fortisque animi exhibuit exemplum. Vir ceterum tam moribus et pietate quam eruditione præstans, Michael Baius aliquas propositiones emiserat quæ multorum animos sibi conciliaverant. Universitatis doctores varii ab illis non abhorruerant, illas immo amplectebantur. At loquitur sensu contrario Summus Pontifex, veritatis per Christum arbiter; et tota Universitas ipseque Baius, quum tamen non parum mentes antea fuissent exagitatae resque perquam publica et conspicua facta, suum faciunt Pontificis Romani iudicium.

Similiter ad hæresim quod spectat Jansenianam, licet plures, alicujus speciei fallacia inducti, Lovanii illius incunabula sibi effinxerint, Catholici obedientissimique Sedi Apostolicæ studii Lovanienses argumenta præbere non destiterunt. Facultas theologica inter tot vices procellasque  
 „ iteratis declarationibus debitam Sedi Apostolicæ reveren-  
 „ tiam testata est; aberrantes a recto tramite in derelictam  
 „ patrum viam reducere studuit; parum firmos salutari  
 „ dextra sustinuit; pervicaces sinu suo ejecit (1). „

Morum rectorum studiosissima, eadem Facultas propositiones aliquas laxiores sibi visas, jamque nimis per regnum serpentes, legatis Romam missis Sedis Apostolicæ iudicio detulit, ibique legatis rem quæ non leves offerebat difficultates optime gerentibus, proscribi vidit.

Josephi II Imperatoris infaustis remque sacram omnino evertere minantibus conatibus adeo restitit, ejusque decretis religiosa omnia jura suffodientibus eam firmitatem fidem-

(1) Ill. de Ram, *De laudibus quibus veteres Lovaniensium Theologi efferrî possunt*. Lovan. 1847.



que opposuit, ut nonnisi magistris fere omnibus e cathedra ejectis dispersisque, novis vero extra omnem ordinem et jus illis suffectis, novas suas doctrinas urgere, idque brevissimo tantum tempore, Imperator potuerit.

Reipublicæ vero Gallicanæ ipsiusque magistratuum scelestis in evertendam Religionem Catholicam ausibus et edictis Universitas tam invicta animi fortitudine, quantum exstitit, Catholicam alta voce profitendo Fidem, mentem imperterritam opposuit, ut præclara illa verba, quibus de hisce in sinu ejus dissertum fuisse legimus, uti speculum totius ipsius sentiendi agendique rationis præluceant: „ Et, „ ubi sanorum semel principiorum limites transgressi, in „ hac perversa connivendi via pedem trementes tulimus, „ ubi hærebimus, et in quæ dedecora non deferemur? Si „ itaque pereundum est, pereamus stantes pro sancta fide „ nostra, pro moribus antiquis, probis, christianis. Hæc „ posthuma etiam gloria Universitatis tumulum ornet, non „ sua ignavia, sed suorum fideique hostium ictibus ruptam „ non flexam concidisse. „

Hanc Ecclesiæ per omnia addictam mentem Ill. de Ram expendens, illiusque roboris ac virtutis rationem requirens, in constantissimis devotissimisque in Sedem Petri studio et obedientia jure merito reponit. Quodnam illud studium, quænam illa fuerit persuasio ex ea etiam obligatione colligitur quam, vix vulgata declaratione cleri Gallicani anni 1682, quisque in strictum Facultatis theologicæ collegium assumendus Regens prius ex theologorum decreto inire astrictus erat: se nempe traditurum ac propugnaturum priscam scholæ suæ doctrinam, quæ Romanum Pontificem falli nescium et Concilio Œcumenico superiorem declarabat.

De Universitatis Lovaniensis in publica negotia actione nonnisi pauca verba faciemus. Imprimis quidem indicamus

publicum illum ipsius ipsiusque studentium animum, quo, variis occurrentibus bellorum periculis arma rapientes se patriæ urbisque saluti cives academici Lovanienses impenderunt. Sed et in maximi momenti pacis negotiis consultam respondentem, immo pacantem aliquando Universitatem invenimus. Sic *Pacificationem Gandavensem* Fidei non adversari a Lovaniensibus cautum habere voluit, in mediis seculi XVI angustiis, novus Belgii Gubernator Johannes Austriacus; alia aliis temporibus Universitas præstitit, immo, nemine jubente, rogante nemine, aliquando pro bono patriæ proprio motu periculi plenum ipsa sponte suscepit negotium (1).

Hoc itaque capite, sicut et capite III, varios auctores diversa profecto ab invicem circa studiorum Universitates, illarum indolem verumque proprii illarum finis ac roboris fundamentum sentientes interrogavimus, et pro parte in iudicii examen adduximus.

Resecatis tamen iis quæ ad rem principalem vi sua minus conducunt, si attento quis animo cuncta lustret, rationem sibi reddere studens unde tandem desumendus sit diversus rerum considerandarum modus, præter cl<sup>l</sup> Möhler omnino ab his separatam paulloque longius jam tractatam contemplationem, quæstionis caput in assumpto vel religioso vel rationis et libertatis absolutæ momento repositum deprehenditur. Hoc igitur omnium jam gravissimum argumentum capite ultimo pertractandum assumamus.

(1) De actis ab ipsa pro impetranda a Philippo II Ducis Albani revocatione, vid. inter ceteros Ill. de Ram, orat. laud.

CAPUT VI.

DE JURE ECCLESIAE CIRCA STUDIORUM UNIVERSITATES  
COMPETENTE.

Si res bene perspiciantur, partes tum auctoritatis tum libertatis in toto quo detinemur negotio desumi debere videntur a considerandis Ecclesiae rationibus tum ad ordinem supernaturalem et naturalem, tum ad homines.

Hæc tamen priusquam tractemus, aliqua ex Universitatum in ejusmodi argumento rationibus historicis delibanda se præbent.

Religiosum Universitatum momentum populis catholicis intime persuasum luculenter conspicitur. Ipsa Universitatum fundatio vel foundationis constituens quam dicerem approbatio res illis erat ad Ecclesiam, illius scilicet supremum caput, Romanum Pontificem, spectans; in Universitatibus vero sic jam constitutis collatio graduum academicorum jusque supremum docendi, quo opera Universitatibus impensa cumulabatur, prout ex auctoritate Apostolica manans, cujus nomine et a cujus delegato etiam ipsum tribui perhibetur, consideratum erat (1). Hoc ultimo munere in Universitatibus medii ævi ferme omnibus, et post medium ævum in compluribus in regnis catholicis fundatis,

(1) Circa utramque hanc quæstionem, ultra auctores laudatos, *Analecta Juris Pontificii* insignem dissertationem ediderunt (a). Proh dolor, frustra quæsivimus Corbiniani Gärtner O. S. B. opus: *De jure summi Pontificis in erectione Academicarum Catholicarum*. Salisburgi 1795.

(a) Anal. jur. Pont. nov. 1855.

prælatus quidam proprius fungebatur, Cancellarii nomen gerens; in quibusdam ad Rectorem vel alios id officii devolvebatur, sed, pro omnibus facultatibus, ex auctoritate tamen Apostolica.

Varii Protestantium scriptores, ut Meiners, Rotteck et Welcker, Huber (1), non infitiantur ex contemplatione communi utrumque ejusmodi jus ut soli Sedi Apostolicæ vere competens habitum fuisse. Savigny quidem (2) ejusdem sententiæ non est, laudatque variarum Universitatum exempla quæ non brevi tempore absque Romani Pontificis confirmatione exstiterint, et academicos honores contulerint. In Italia quoque Universitatum fundatio absque Sedis Apostolicæ auctoritate non ita rara commemoratur. Negotium illud, maximi revera ponderis, modo qui rem veluti absolvat pertractandum dissertationem omnino propriam propriumve potius opus requireret; paucissima tantum perstringendo cum Busz (3) aliisque, illis imprimis quos ultima capituli præcedentis § laudavimus, notemus præcipue sequentia.

Licet aliqui medio ævo insignes viri proprio Marte et sponte sua docere cœperint, multosque discipulos doctrinæ sua fama cientes ut Universitatum quædam initia constituisse, quinimo institutum ipsum veluti evocasse a variis dicantur, res tamen hæc omnino fere singularis est, neque jus ullum firmasse dici posset. Ipse Protestans quem mox indicavimus Huber opinionem variorum protestanticorum scriptorum de hac communiori reique ipsius quæ fuerit origine omnino infitiat, Abælardum forsitan solum illius a semetipso assumpti publice docendi juris exstare asserens

(1) *Die englische Universitäten*, 2 voll. Cassel 1859, 1840.

(2) *Geschichte des Römischen Rechts im Mittelalter*, t. III, p. 415 seqq.

(3) *Die Reform*, p. 454 seqq.

exemplum (1), et usque ad medium seculum XIII vix sex forsitan posse indicari magistros Universitatum qui laici fuerint. Præterea ubique fere antiquissimæ Universitates ex amplificatione scholarum cathedralium, et ex numero exteriorum discipulorum apud aliquas jam prævalente numero eorum qui interiora scholæ habitabant ædificia, sensim sine sensu, nec futuræ indolis ipsæ vere consciæ, efformatæ sunt. Inde initio, quum ejusmodi scholæ ab antiquissimis temporibus sub Ecclesia et episcopo constitutæ essent, nec Universitas adhuc ut institutum proprium et suæ indolis vere jam esset exorta, aliquem novum Summi Pontificis interventum res ut nova necdum nota non exigebat. Ipse Huber, quem libenter in hoc negotio laudamus, testem nimirum hic nobis vere idoneum, quum virum quidem omnino protestanticum, sed æquum et de veritate in argumento suscepto tractando verè sollicitum se exhibeat; Huber, inquam, ipse instat illis Summorum Pontificum constitutionibus et præscriptionibus, quibus ab ipso seculo XI, quando scholarum sæpe crevit docendi campus, et per posteriora Universitatum tempora, horum institutorum proventum et exteriori et interiori, vel minuta aliquando decernentes, ipsi constanter summa auctoritate curaverunt. Bullæ quas in Appendice I communicamus, de Universitate Parisiensi ac Cervariensi tanto temporis intervallo — quingentorum scilicet annorum, — datæ, hujus rei luculentum præbent exemplum. Qui singularum Universitatum historiam pervolverit omni fere pagina sollicitudinem quidem illam incessantem, sed et jus summum

(1) Huber, op. cit., p. 15 seqq. Ipse Abælardus (a) conqueritur: « Duo præcipue absentem mihi semper objiciebant — quod sine magistro ad magisterium divinæ lectionis accedere præsumpsissem. »

(a) *Historia calamitatum*, cap. VIII; cf. Thurot: *De l'organisation de l'enseignement dans l'Université de Paris au moyen âge*, Paris, 1850, p. 8.

Romani Pontificis ibi reperiet in Unīversitatem erga prælatos, corpora constituta vel libera, reges exercita. Ipsius Bulæi, scriptoris ceterum satis cesarei, historia bene copiosa bullis, decretis, auctoritate summa factis Romanorum Pontificum intercessionibus, omnino abundat: Unīversitatem ipsi ornant, tuentur, ordinant, visitant, corrigunt, continent. Probe vero Busz notat quod scholæ formatæ potius per aliquorum insignium magistrorum cœtum, corona mox discipulorum stipatum, et exinde semper crescentem, priusquam veram propriamque Unīversitatis, quin immo corporis alicujus proprii indolem et constitutionem externam exhibuerint, quod jura certa exercuisset, et de quo Summus Pontifex statuisset, mora non minima opus erat. Studio illo et ardore vere anxio et pusilli insolentisque animi, quo pavido atque invido oculo quidquid est et movetur a multis hodiernis imperiis imperiorumque magistratibus respicitur, respectumque coarctetur et deprimitur, neque Ecclesia neque Summi Pontifices possessi sunt, minusque etiam tunc illud esse poterant, quum universim hominum fidus in Religionem animus hujus sarta et tecta jura fore veluti spondebat.

Sed, postquam Unīversitates vere naturam illam induerunt institutorum quæ culmen occupant doctrinæ atque disciplinæ, atque per illas conformandis hominibus destinatarum, postquam nota illarum propria, viros nempe scientiæ deditos usque ad illius magisterii munus adducendi, constitit, tum quoque earum institutum ut a Romano Pontifice pendens acceptum est, vel quod fundari posset, vel quod fundatum confirmationem, summum aliquod moderamen, tuitionem, et, si opus foret, correctionem et reformationem acciperet. In ipsorum sinu supremum illud gradus conferendi, magistros doctoresque qui «hic et ubique» legerent creandi munus ex auctoritate Apostolica et a magistratu aliquo, Cancellario plerumque, a

Summo Pontifice designato exercebatur, et in Catholicis Universitatibus exercetur hodie. Verborum lites non movemus. Ex ipso Clemente XII Universitatem Cervariensem approbante et auctoritate Apostolica singula fere decernente (1) videri potest, Universitatem erectam, fundatam a principe seculari aliquando vel Pontifices dicere: sed huic foundationi deerat illud quod dicam momentum verum juris et vitæ, donec accessisset, ut forma materiæ, capitis Ecclesiæ approbatio. Dissertatio laudata Analectorum Juris Pontificii varia maximi ponderis exempla circa jus ejusmodi summum Sedis Apostolicæ affert; præcipuum eorum est illud quod de Universitate in civitate Mexico erecta perhibetur. Hæc nempe a pluribus jam annis absque Sedis Apostolicæ interventu constituta fuerat, immo gradus academici ab ipsa in variis facultatibus fuerant collati. Ipse tamen Rex Hispaniarum Romano Pontifici mox supplicavit ut auctoritatem suam interponeret. Clemens vero VIII non solum Universitatem approbavit, facultatemque graduum conferendorum in diversis facultatibus illi fecit, sed, bonam fidem cum qua processum fuerat considerans, concessit ut gradibus suis ipsarum non sacrarum facultatum uti possent privilegiisque graduum frui, qui eousque ipsos receperant (2).

Aliud quod jure cl. Busz extollit momentum illud est, quo attenditur Romanos Pontifices aliquando quasdam Universitates modo quem dicerem *indirecto* sanxisse, illis varia privilegia non nisi Universitatum a Sede Apostolica approbatarum indoli propria concedendo, quod pro italicis sæpius locum habuit.

Tandem cum auctoribus nostris omnino notare oportet multas Universitates ex sensim ac sine sensu auctis cathe-

(1) V. Appendicem I ad calcem dissertationis hujus appositam.

(2) V. Clementis VIII Bull. *Ex supernæ*, datam die 7 octobris 1595.

dralium scholis processisse, quæ ex ratione sua auctoritati Episcopi subiciebantur, propriumque scholæ moderatorem aptitudinisque judicem ex ista auctoritate habebant; inde, priusquam ista veluti nativitatis indoles, propter indolem altiore jam et universaliorem obtentam designato Cancellario Apostolico et a Sede Apostolica adoptato instituto, modo solemniter exterius quoque mutaretur, tempus jam longius præterisse poterat.

De ipsis vero his Italiæ Universitatibus duo notanda rem juvant. Nemo est qui non novit in quantas vel minimas respublicas regio illa divisa fuerit, insignesque maximis ad invicem simultatibus. Qua de causa, quæ in singularum sinu fiebant, illis sæpe omnino propria, institutaque in illis vigentia ipsarum fere tantum erant. Variæ exinde Universitates a civitatibus peculiaribus fundatæ sunt, quæ licet jus illud universum quod vidimus studii generalis appetere, re tamen illud vix exercebant. Quinimo aliquando ipsis earum statutis sanciebatur ne per spatium satis longum annorum extra ipsas doctores in ipsarum Universitatibus creandi docerent. Re igitur in inferioribus istis quas dicam Universitatibus de jure docendi *hic et ubique* fere non agebatur. Ipsarum vero haud rara cum Sede Apostolica publicarum rerum dissidia hic quoque vim aliquam exercere debuisse in proptulo est. Sed ulterius quoad istas quibus detinemur Universitates omnino considerari debet Sedis Apostolicæ illa sanctio, Cancellarii quoque Apostolici pro gradibus academicis impertiendis constitutio, quam instituto jam roborato et aucto ibi factam videmus; designatio vero mox communicanda Universitatum a Sede Apostolica fundatarum et approbatarum, Italiæ quam plurimas exhibebit: revera, licet contradicat Savigny, secundum varios auctores Neapolitanæ Universitatis a solo imperatore, Friderico scilicet II, erectæ exemplum exstat omnino singulare.



Ad propositum tamen principalius circa jus Sedis Apostolicæ in erigendas Universitates ut redeamus, occasione ipsius quoque Universitatis Lovaniensis exemplo perspicuo nobis constitit, quomodo principes ipsi seculares tam flagitando erectionem a Romano Pontifice, quam summa animi gratitudine et gaudio promentes et publicantes beneficium erectionis sibi collatum, sibimet ipsis intime persuasum ostenderunt jus illud demum constituendi Universitatem summæ illi auctoritati proprium esse. Circa ipsa tamen ejusmodi instituta tum Lovanii tum alias negotium agebatur, quod ratione sua minus ad Ecclesiam pertinere videri poterat, quum de theologicæ facultatis erectione sermo nullus adhuc esset, sed de aliis solum. Hanc vero principum se habendi rationem perperam ex medio ævo propriis inter utramque, et ecclesiasticam et secularem, potestatem rationibus, quibus Summo Pontifici multa jura in res regni agnita fuissent, quis explicare conaretur, nisi simul attentæ religiosa Universitatibus agnita natura. Quis principum vel cogitasset quidem de flagitanda a Pontifice v. gr. erectione tribunalis laïcorum vel inferioris vel summi, dum tamen jus et justitia res sunt tam sacræ, et ordini rationum religiosarum tam propinquæ? Quis sivisset varia administrandæ justitiæ secularis, vectigalium, exercitus instituta a Summo Pontifice ejusve nomine in regno fundari, ordinari secundum singula et minuta capita, visitari, reformari? — Ab his seculis jam remotiores, libenti aliquando animo, dum jus illud publicum nexumque perpulchrum inter utramque potestatem consideramus, nobis persuasum haberemus omnia tunc summa cum pace et ex ingenio perquam demisso et obsequenti in Ecclesiam processisse, principes festinasse omnem auctoritatem et quodlibet jus utut seculare Ecclesiæ exercendum vel moderandum committere. Re autem vera, quanquam nexus

ille intimus a jure publico agnitus erat, vita quam dicam nationum quotidiana quotidianusque usus principes non suæ tantum auctoritatis bene studiosos, sed in ipsa jura Ecclesiæ et sæpe, et acriter, et voluntate obfirmata invectos nobis ostendunt.

Neque ratione potiori hæc omnia originem habere præcipuam vel proprie causalem secundum nos crederentur ex illo historico fonte, quo scilicet disciplinæ ab antiquissimis temporibus, et per media barbariei primum fere universalis, postmodum quoad litteras disciplinasque cultiores satis adhuc sparsæ tempora, in solis Ecclesiæ institutis ac utriusque cleri domibus colebantur. Tum enim disciplinæ scholarum illarum cathedralium vel monasticarum, licet aliis quoque traditæ, longe majorem tamen partem scholarium respiciebant qui clerici futuri credebantur sperabanturque, universimque post priorum annorum institutionem quandam generaliore eujusmodi scholarium rationes potius respiciebant quam aliorum; Universitatum vero vel studiorum generalium hujus illiusve facultatis doctrina, ut patet, seculares secularesque vitæ vias sibi maximam partem proponebat. Inde vero omnis studiorum ratio, magistrorum studentiumque conditio, usus ac vita, Universitatum ipsarum in hominum societate et in republica status et auctoritas, naturam indolemque ab aliis istis scholis et ab earum rationibus immediate ecclesiasticis tam diversam præbebat, ut cogitari nequeat quod per tot secula rationes internæ seculorum jam ab ævo ævisque præteritorum — necessitates nimirum infimæ culturæ, — talem contemplandi modum, quum tamen tantum sit potestati seculari suorum jurium studium, prævalere siverint. Non enim agitur de medio tantum ævo; post invalescentem protestantismum, post obtinentem Cæsarismum eadem exempla eujusdem auctoritatis eaque

nobilia, ut v. gr. ex Cervariensi Universitate vidimus, eamdem rerum contemplandarum sententiam tuentur ac præ se ferunt (1).

Præter igitur erectionem, vel sanctionem, qua simul jus conferendi gradus academicos facultasque illa suprema docendi hic et ubique, ut proprium Universitatum, sub auctoritate Sedis Apostolicæ exercendum, munus continebatur, Summi Pontifices in Universitates præcipua quædam jura exercuerunt. Privilegiis multiplicibus eas eorumque varia membra ornaverunt, tam amovendis certis disciplinarum impedimentis (2) quam fovendo illarum studio (3) destinatis; ea vero tot erant tantæque amplitudinis, ut ipsis tuendis conservatores proprii privilegiorum Sedis Apostolicæ in Universitatibus constituerentur, ipsius hujus Sedis Apostolicæ auctoritate. His etiam judicii ordinarii maxima jura a Summis Pontificibus data fuisse exemplo Lovaniensi patuit (4). — In Universitates vero præcipue summum illud quod diximus continuumque dirigendi tuendique regimen Romani Pontifices exercentes, hinc quidem maxima auctoritate ac gravitate eas contra injurias illatas defenderunt, libertatemque earum vindicaverunt, inde vero eas ipsas intra recti, justi et Fidei limites, si opus esset, continuerunt. — Modus ali-

(1) Hæc autem confirmantur per Universitatum a sede Apostolica erectarum sancitarumque designationem, quæ habetur infra, Append. II.

(2) Tale erat v. gr. privilegium ecclesiasticis scholaribus non semel datum incumbendi medicis disciplinis, licet hæc a canonibus universim clericis prohiberentur.

(3) De canonicatibus, v. gr., certis professionibus scientiarum ipsarum non sacrarum attributis ratione reddituum et jurium, de percipiendis fructibus beneficiorum, licet per absentem, si ratione studiorum quis in Universitatis civitate degeret; de liberatione a tribunali extra certos a civitate limites constituto, de jure Universitatibus vel certis facultatibus tributo nominandi suos ad multiplicia beneficia, aliaque permulta. De exemptione mox sermo recurret.

(4) Cf. p. 88 seqq.

quis præcipuus quo hæc curaverunt, erat institutio visitationum illarum Apostolicarum, quibus Universitatum res, commoda, negotia ac lites, præcipuis quibusdam obortis rerum temporumque momentis, a viris summi universim ordinis per Romanum Pontificem delegatis cognoscebantur, dirimebantur, statuabantur. Quæ vero Romani Pontifices in his omnibus præstiterunt, tum in summa instituti quam communem vidimus libertate, tum in adjumento, moderatione et rerum particulari aliquando ordinatione, ea Fidei morumque curam cum impensissimo disciplinarum studio et cum rectæ libertatis amore et observantia arcissime conjunctam illis continuo præluxisse ostendunt. Huc quoque spectat illa pro multis dignitatibus ecclesiasticis statuta conditio ut nonnisi doctoribus vel saltem licentiatibus S. Theologiæ vel SS. Canonum tribuerentur; pro aliis dignitatibus, canonicatibus, beneficiis, ut in magnam eorum statutamque partem hi aliarumve aliquando facultatum doctores eligerentur.

Inde tota Universitas ut corpus ecclesiasticum considerata est. Hoc quidem non ab omnibus conceditur; ipsi tamen aliqui Protestantium scriptores, ex. gr. Huber (1), cum multis Catholicorum id tenent, Universitatesque ipsæ aliquando huic characteri institerunt (2). Hinc Huber loco citato, aliis omnino consentiens, exemptionem singulorum Universitatum quæ vocabantur suppositorum non in liberatione a jurisdictione seculari reponendam dicit, quum ejusmodi liberatio a clericali illo characterem ultro profueret, sed in exemptione ab Episcopi judiciumque ecclesiasticorum ordinariis tribunalibus, ut nonnisi iudicibus ex auctoritate Apostolica eo jure gaudentibus subderentur.

(1) Op. cit., p. 50 seqq.

(2) Vid. Hasel, diss. cit., p. 328.

Pro hac ecclesiastica Universitatum indole adstruenda varia adducuntur argumenta (1) :

1. Earum longe major pars e scholis cathedralium monasteriorumque exorta.

2. Tuitio ac protectio ab Ecclesia Summoque Pontifice inde a priscis temporibus illis præstita continuaque de ipsis cura.

3. Jus confirmandi Universitatum erectionem Summo Pontifici ut proprium agnitum.

4. Cancellarii Apostolici apud omnes Universitates usque ad ævum Reformationis constitutio, vel gradus academicos auctoritate Apostolica conferendi per sedem Apostolicam in posterioribus Universitatibus sive cancellario sive certis quibusdam aliis auctoritatibus facta potestas; solorum vero graduum hac auctoritate collatorum valor agnitus.

5. Ratio vere ecclesiastica sub qua tum Universitas tum ejus membra habebantur. Per longum tempus plerique professores vere clerici, ordinibus saltem minoribus insigniti, omnes vero cœlibes debebant esse, ita quidem ut in ipsa Universitate Tubingensi protestantica facta hæc cœlibatus conditio ipsis medicinæ professoribus imponeretur. Hanc ipsam conditionem et scholaribus videmus factam : sic Parisiis pro variis facultatibus illud decretum vigeat, immo anno etiam 1588 in artium facultate latum fuit, in medica tamen anno 1452 matrimonium concessum. Vestitus clericalis magistris et scholaribus præscribebatur, omniaque Universitatis membra simul sumpta sæpe *clerus* vocabantur Universitatis, Universitas vero *clerica* vel *clericalis*. Exemplum vere memorabile ab Universitate Viennensi desumitur, quæ anno 1464 ab imperatore Friderico IV et anno 1485 a rege

(1) Circa hæc omnia cf. præcipue auctores laudatos p. 169.

Matthia Corvino conventa de præstando fidelitatis juramento utroque casu obsequi renuit: « quum », dicebat, « universitas » *spiritualis* sit et de jure communi nullus spiritualium seculari neque principi neque alteri obligari debeat. » Imperator vero expresse, rex tacite de sua postulatione destiterunt.

6. Finis vero supremus Universitatum erigendarum totiusque illarum actionis, qui jam variis occasionibus nobis innouit modoque tam luculento in cunctis foundationum bullis et actis exprimitur, bonum est Religionis et splendor illius ac vigor in hominum societate, per cunctarum disciplinarum probe et assidue excolendarum amicam conspirationem.

7. Ideo, exsurgentibus præcipue erroribus, cautum est de Fide magistrorum ac promovendorum; Fidei catholicæ jurandum introductum est. Universitatis Lovaniensis præcipuum, ad cunctos etiam scholares se extendens, hujusmodi studium præ ceteris laudandum vidimus.

8. Publica Universitatum, ut corporum ecclesiasticorum, laudatur in nationis comitiis et in synodis ecclesiasticis conditio.

9. Universitatum, earumque integrarum, non solius theologicæ facultatis, per Summos Pontifices et alios præsules ecclesiasticos expetita de negotiis quæstionibusque ecclesiasticis sententia, earumque Doctorum frequens ad Concilia œcumenica, synodosque provinciales ac diœcesanas admissio.

10. Bona ecclesiastica Universitatibus sublevandis destinata: canonicatus, parochiæ, alia.

11. Aliquæ Universitates directe pro ecclesiastica fundatione vel pia causa conditæ.

12. Magna jurium præcipuorum Universitatibus competentium ipsorumque exercitii similitudo cum iis quæ in omnino ecclesiasticis corporibus videntur, ex. gr. jus pro-

movendi, eligendi constituendique magistratus suos suasque dignitates.

13. Privilegia multa tum ab Ecclesia tum a republica concessa, quæ vel ipsa ecclesiasticæ indolis sunt, vel hanc in Universitatibus supponunt. Nobilissimum horum est jurisdictio coërcitiva quoque et pœnalis in ipsa etiam earum proprie ecclesiastica membra. Huc quoque spectant jura quæ de beneficiis, de fructibus eorum percipiendis vidimus absque universim tamen præscripta residentia; nominationis ad beneficia ecclesiastica toti Universitati vel quibusdam facultatibus, etiam non sacrarum disciplinarum, potestas facta, doctorumque hujusmodi facultatum ad tales nominationes statuta conditio. Hic recensendum occurrit inter cetera jus Summo Pontifici præsentandi sic dictum *rotulum*, qui candidatos illi designabat ad certa beneficia ecclesiastica: insuper jus ecclesiasticum censuræ librorum exercendæ; jus non semel concessum inquirendi in hæreticam pravitatem, necnon censuras ecclesiasticas, ipsam etiam in quibusdam casibus excommunicationem, irrogandi ab illisque absolvendi; alia hujusmodi.

14. Apostolici Conservatores Universitatibus adjuncti; Visitatores et Reformatores sæpe a Summis Pontificibus vel Conciliis missi.

15. Ipsarum tandem Universitatum, ut corporum, vitæ usus vere religiosus. Ecclesiæ pericula et angustiae ipsas non parum angustiaverunt; omnia fere statuta ipsarum et facultatum exordiantur a titulo: *De his quæ morum sunt et divini cultus*; Ecclesiæ festa vel universalialia vel regni dioceseosque principalia vel sibi propria solemniter agebant; Sanctum patronum habebant ipsæ, et singulæ nonnunquam facultates; ritus ecclesiastici solemniores illarum functiones comitabantur.

S. Concilium Tridentinum circa Universitates eundem Ecclesiæ animam eandemque auctoritatem exhibuit. Propter turbas ubique existentes Universitatumque et maxime auctum numerum et non parum corruptam aliquando disciplinam, ordinavit quidem hæc sancta Synodus ut ab episcopis seminaria pro educatione clericorum erigerentur (Sess. XXIII, cap. 18 de Ref.), atque sic horum institutio longe majorem partem ab Universitatibus ablata est. Sed hoc proveniebat ex rerum adjunctis et conditionibus clero bene conformando peculiaribus. Mirum, contra, est, quanta benevolentia S. Synodus, in istis gravissimorum de Fide certaminum temporibus, vim auctoritatemque hierarchiæ sacræ, Episcoporum præcipue, augere tam sollicita, tamen de Universitatibus statuerit, ipsasque, cum cura quidem maxima de Fide, corpora tamen grandia sui que juris habuerit, eas a multis præscriptionibus latis excipiens. Quod quidem sequentia indicant.

Sessione VII, cap. 13 de Ref. universim quidem statuit quod : « Præsentati, seu electi, vel nominati a quibusvis » Ecclesiasticis personis, etiam Sedis Apostolicæ Nuntiis, » ad quævis Ecclesiastica beneficia non instituantur,.... » nisi fuerint prius a locorum Ordinariis examinati, et » idonei reperti.... » ; sed addit : « Præsentatis tamen, » electis, seu nominatis ab Universitatibus seu collegiis » generalium Studiorum exceptis. »

Quum conservatorum certis bonis ac rebus aliquando constitutorum jurisdictio certis finibus, Sessionis XIV, capite V de Ref. concluditur, Universitates, earum loca ac personas hoc canone minime comprehendi decernitur « sed » exemptæ omnino sint, et esse intelligantur. »

Illis ad quos cura, visitatio et reformatio Universitatum pertinet, decretorum Tridentinorum ab his receptio et obser-



vatio, Fidei integritas ejusque annum juramentum curanda committuntur, correctio quoque ac reformatio in quibus opus sit (Sess. XXV, c. 2 de Ref.), habeturque in fine capituli: „ Quæ vero Universitates immediate Summi  
„ Romani Pontificis protectioni, et visitationi sunt subjectæ,  
„ has sua Beatitudo per ejus delegatos eadem, qua supra,  
„ ratione, et, prout ei utilius visum fuerit, salubriter visitari et reformari curabit. „

Quo loco vero studia eorumque honores ab Universitatibus tributos Concilium habuerit, ex sequentibus capitulis eruitur:

Sess. XXII, cap. 2 de Ref.: „ Scientia vero præter hæc ejusmodi polleat, „ (qui ad Ecclesiam cathedralem promoveatur) „ ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere; ideoque antea in Universitate studiorum magister, sive doctor, aut licentiatus in sacra theologia, vel jure canonico, merito sit promotus, aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. „

Sess. XXIV, cap. 18 de Ref.: „ Sint vero hi examinatores „ (ad parochias vacantes) „ magistri, seu doctores, aut licentiati in theologia, aut jure canonico, vel alii clerici, seu regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei. „

Sess. XXIII, cap. 18 de Ref.: „ De cætero vero officia, vel dignitates illæ, quæ scholasteriæ dicuntur, non nisi doctoribus, vel magistris, aut licentiatis in sacra pagina, aut in jure canonico, et aliis personis idoneis, et qui per se ipsos id munus explere possint, conferantur: et aliter facta provisio nulla sit, et invalida. „

Sess. XXIV, cap. 8 de Ref.: „ In omnibus etiam cathedralibus ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ proxime vacaturæ, ab

episcopo instituatur, qui magister sit, vel doctor, aut licentiatus in theologia, vel jure canonico, et annorum quadraginta, seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiat. »

Sess. XXIV, cap. 12 de Ref. : « Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur episcopi, sint in omnibus ecclesiis, ubi fieri poterit, magistri in theologia, seu doctores, aut licentiati in jure canonico.... Hortatur etiam sancta Synodus, ut in provinciis ubi id commode fieri potest, dignitates omnes, et saltem dimidia pars canonicatum in cathedralibus ecclesiis, et collegiatis insignibus conferantur tantum magistris, vel doctoribus, aut etiam licentiatis in theologia, vel jure canonico. »

Sess. XXIV, cap. 16 de Ref. : « Item officialem, seu vicarium infra octo dies post mortem episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur (capitulum), qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus. »

Sess. V, cap. 1 de Ref. : « Docentes vero ipsam sacram Scripturam, dum publice in scholis docuerint, et scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, præbendarum, et beneficiorum suorum in absentia a jure communi concessis plene gaudeant, et fruantur. »

Privilegium vero fori Sess. XXIII, cap. 6 unicuique clerico concedit, qui, servatis servandis, « in aliqua schola, vel Universitate de licentia episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versatur. »

Omnia prædicta si rite considerentur, Universitates ut corpora ecclesiastica tractari ab Ecclesia dicendum credimus; singula vero earum membra ut conditioni ecclesiasticæ potius proxima quam vere clericos habita dixerim; vidimus enim hujusmodi discrimen factum per ipsa statuta.

Sic proprie dictorum *clericorum* conditio in *membris* Universitatis sæpissime exigitur ut ad altiores Universitatis functiones, Rectoratum præcipue, assumi possint, et datur etiam alicubi pro Rectore hujus conditionis illa ratio, quod iudex quum sit ipsorum clericalium Universitatis membrorum, clericus ipse debeat esse.

His ex ipsarum Universitatum ratione desumptis argumentis, cl. Busz (1) Protestantium quoque juris peritorum sententiam addit, Universitatum bona pro bonis ecclesiasticis declarantem, et pro piis causis foundationes in Universitatum scholarumque bonum factas. His accedunt ejusmodi foundationum verba religiosi operis constituendi mentem omnino declarantia.

Sed et solemnes pæcis inter terræ Europæe gentes tractatus eundem religiosum characterem scholarum Universitatumque bonis agnoscunt. Sic Pax Westphalica anni 1648 post omnes protestantismi bellorumque eversiones, articulo VII, § 1, prævidens casum principis confessionem Augustanam cum reformata, vel vicissim mutantis, de eo declarat: «Fas non sit... vel publicum religionis exercitium, » leges aut constitutiones ecclesiasticas hactenus ibi receptas immutare, vel templa, *scholas*, hospitalia aut eo pertinentes redditus, pensiones, stipendia prioribus adimere, » suorumque sacrorum hominibus applicare,.... ullumve » aliud impedimentum aut præjudicium directe vel indirecte » alterius sacris afferre. » Simili ratione inter foundationes ecclesiasticas bona scholarum et Universitatum, ipsæ Universitates et scholæ inter pia corpora recensita sunt in pacificationibus pacis Rastadiensis. Inde quoque decretum deputationis imperii (*Reichsdeputationshauptschluss*) anni 1803,

(1) Op. cit. *Der Unterschied*, p. 201 seqq.

§ 63, declarat : « In quovis regno exercitium hucusque obtinens Religionis a suppressione et omnis generis offensa securum sit ; imprimis quævis Religio absque turbatione in possessione et libera fruitione bonorum suorum ecclesiasticorum , bonorum quoque *ad scholas pertinentium*, secundum quod præcipitur a Pace Westphalica , permaneat (1). »

His ita expositis brevissima ex rerum natura desumpta consideratio , in qua rursus auctores sæpe hoc capite laudatos patronos habemus , finem imponat.

Verbum Dei caro factum via est hominibus et veritas et vita , et Ecclesiæ se totum tradidit , per quam veritatis et vitæ æternæ bona , inaccessa hominibus , ipsis servarentur ac porrigerentur. Mediante Ecclesia Verbum divinum imaginem Dei , veri et boni æterni , in hominibus reparat et ad supernaturalem perfectionem adducit , quo *comprehensores* aliquando ipsi in gloriæ lumine fiant.

Inde Ecclesiæ officium et jus omnino proprium exclusivumque tuendi tradendique veritates supernaturales et absque quavis offensa conferendi media gratiæ.

At totus naturalis ordo a Deo , summo unicoque vero , ad imaginem similitudinemque supernaturalis , ex ima Dei natura resurgentis ordinis creatus constitutusque est , unde vices , licet in multis oculo humano , etiam a veritate supernaturali illuminato , absconditæ , inter utrumque strictissimæ subsistunt.

Præterea , verum ac bonum , licet ab intellectu nostro sub diversa ratione considerata , non tamen sunt in se nisi

(1) « Die bisherige Religionsübung eines jeden Landes soll gegen » Aufhebung und Kränkung aller Art geschützt sein, insbesondere jeder » Religion der Besitz und ungestörte Genuss ihres eigenthümlichen » Kirchenguts, auch Schulfonds nach der Vorschrift des Westphälischen » Friedens ungestört verbleiben. »

simplicis Dei unitatis una essentia et una perfectio. Quibus quidem considerationibus conficitur, quod quævis naturalis doctrina, prout recto vel pravo animo accipitur, facile in bonum vel in damnum supernaturalis veritatis vertitur.

Hinc etiam veritatum disciplinarumque naturalium instituta in rem religiosam maximæ auctoritatis sunt, neque unquam ipsorum in hanc momentum viros ingenio vere præstantes videmus latuisse.

Re quidem vera solus Deus est qui interius et principaliter docet ex participata similitudine sui luminis in nobis, ut aperte tradit D. Thomas, Q. XI de Magistro, a. 1. Quia vero magisterium externum, ut sit vere perfectum, interiori respondeat necesse est, hoc autem ob suam imbecillitatem homo ex se præbere non potest, consequitur ad ejusmodi etiam perfectionem cognitionis veritatum ipsarum naturalium Dei lumen ipsum nobis esse necessarium, vel omnia distincte proponendo, quod Deus non præbuit, vel lumine illo veritatum supernaturalium et radiis immissis in naturalium ordinem oculum nostræ fragilitatis irradiando, dirigendo, gressumque, qui secure percurrat, obfirmando. Et hoc quidem Deus præstitit ex revelatione jam in Veteri Testamento; « novissime vero locutus est nobis in Filio, » quem constituit heredem universorum, per quem fecit et » secula. Qui quum sit splendor gloriæ et figura substantiæ » ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ,.... sedet ad » dexteram majestatis in excelsis » (1), attamen incarnatus et passus « caput est Ecclesiæ.... et se ipsum tradidit pro » ea » (2). Unde Ecclesia disciplinis omnibus tum supremum illud conspirationis in supremam veritatem indidit momentum, tum singulis earum, ut æternæ sapientiæ agnoscendæ

(1) Hebr., I. 2, 5.

(2) Ephes., V. 25, 23.

aptissimis ancillis, assiduam curam adhibuit summamque profiendi vim communicavit.

Hinc perspicitur quam apte ipsarum veritatum naturalium instituta ab Ecclesia informentur, tum vero quanti ponderis ejusmodi instituta sint, secundum quod recta vel falsa prosequuntur, ad supernaturalem firmandam vel corrupendam institutionem animæ.

Ecclesiæ igitur necessario adjudicatur jus providendi ne disciplinas ipsas naturales magistri doceant, qui animum in Ecclesiam pium et obsequentem non gerant; jus reprimendi si pravi quid doceatur; jus exinde invigilandi naturalis doctrinæ institutis. Ex officio vero Ecclesiæ circa instituendos imbuendosque homines veritatibus et virtute salutis, ulterius ipsius jus eruitur providendi ut in scholis ejusmodi, si quidem extra illam quæ constituantur, informationi scholarium supernaturali locus sufficiens tribuatur.

Quæ si Universitatibus applicentur, jam dicendum erit Ecclesiam in omnes Universitates jus hoc habere, ut summa illa scientiæ institutionisque instituta catholica sint; recte poscitur ut corpus illud morale ad moralem juvenum informationem institutum, hanc præstet Ecclesiæ matri atque omnium fidelium magistræ securitatem. Rectissime igitur et summo jure Concilium Tridentinum exigere potuit, ut omnes et singuli scientiarum in Universitatibus magistri Fidei Catholicæ præstarent juramentum. Non enim homo habet jus contradicendi verbo Domini, sed e contra verbum Domini habet jus se sartum tectum servandi inter homines et repellendi quicquid sibi adversatur: magisterium vero supremum verbi Domini ipsa Ecclesia docens est. — Et hæc quidem sunt de Universitate observanda, si spectetur ut unum corpus morale. Disciplinas vero sacras docendi jus soli Ecclesiæ esse proprium jam constitit.

Ex dictis colligitur quam apta ea fuerit quam vidimus Universitatum Catholicarum medii ævi ipsorumque hic illic recentiorum temporum constitutio. Ecclesiam tamen Romanosque Pontifices pacisci posse cum summis rerum moderatoribus qui ipsi Universitates fundarint non negabitur, dummodo jura Ecclesiæ salva permaneant.

Si vero ne hoc quidem Ecclesiæ concedatur, omni vi ac ratione ab ipsius filiis libertati docendi instituendique insistendum est, ut Ecclesia ex filiorum devotione filiorum saluti instituta recta præbere possit.

Instituta vero mixta, mutuam veritatis errorisque contradictionem et sublationem sub compositionis specie statuentia, summo jure Ecclesia semper repulit.

Libertati itaque supremæ cuncta tradendi, cuncta audiendi, ut summo in Universitatibus doctrinæ discendique perfectionis apici, nequaquam astipulamur. Ea enim omnis veritatis in unum supremumque verum conspirationis ideam, quod verum est et summum Universitatum momentum, omnino tollit. Educationis etiam momentum non minus extra rerum naturam ponit. Præterea de rebus et veritatibus judicandi in scholari supponit ejusmodi copiam et iudicium, quæ, quum instituendus sit, acquirere adhuc debet. Si vero de absoluta illa libertate, quam pro moribus conformandis vitæque e vita ipsa addiscenda tam insignem prædicant, agatur, quis non videt naviculam fluctibus immitti, priusquam manus ramis gubernandis valentes effectæ sint?

Rationes igitur quum homo tot habeat tamque multiplices ad alios, summæ tamen summæque efficientiæ illi sunt rationes ad Deum, eæque vivæ, uberes, efficaces, per Deum-Hominem, viventem in Ecclesia. Hæc quidem et robur porrigit, et libertatem curat, sciens liberum hominum

arbitrium a gratia informatum fontem vis illius esse qua  
violenti regnum caelorum rapiunt.

---



## APPENDIX I.

Primum quod hic pro Universitate Parisiensi indicare juvat documentum, cum ipsius Bulæi (1) introducimus verbis. Delegatus a Sede Apostolica Robertus auctoritate S. Sedis hic intercedit et sanctione sua quæ observanda sint roborat. Ipsum autem illud quod confirmatur, ut ex verbis Roberti patet, a Judicibus a Summo Pontifice delegatis vim suam jam prius hauriebat.

Eodem anno (1215) inter eundem Cancellarium et Universitatem Parisiensem aliquod pacis genus compositum est per M. Robertum Curchonensem seu Curchonensem Innocentii Papæ Legatum, paulo ante Noviomensem, inde Parisiensem Canonicum qui statuta quædam a Petro Cambio Episcopo Parisiensi olim facta confirmavit, præcepitque servari modum examinis, quem antea Petrus præscripserat. Præterea nonnulla miscuit capita ad Artistas et Theologos pertinentia circa modum docendi et exequias defunctorum : sub quibus verbis, non dubito quin et Medici et Canonistæ comprehendantur : nam ut ex Reformatione Gregorii IX, quem infra referemus, patet, Medicina accensetur Artibus, Decreta Theologiæ. Statutum autem est ejusmodi.

« *Robertus Servus Christi* Divina miseratione tituli S. Stephani in » Cœlio Monte Presbyter Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, Universis

(1) Historia Universitatis Parisiensis... Authore C. E. Du Boulay... Parisiis, 6 vol. in-fol., 1665-1675.

» Magistris, et Scholaribus Parisiensibus salutem in Domino sempiternam. Noverint Universi, quod cum D. Papæ speciale habuissemus » mandatum, ut statum Parisiensium scholarum in melius reformando » impenderemus operam efficacem, Nos de honorum virorum consilio » Scholarum tranquillitati volentes in posterum providere, Ordinavimus » et statuimus in hunc modum.

» Nullus legat Parisiis de Artibus citra 12 ætatis suæ annum, et quod » sex annis audiverit de Artibus ad minus antequam ad legendum accedat, et quod protestetur se lecturum duobus annis ad minus, nisi » rationabilis causa intervenerit, quam publice vel coram examinato- » ribus debeat probare, et quod non sit respersus aliqua infamia, et » quod cum legere disposuerit, examinetur quilibet secundum formam » quæ continetur in Scripto D. Petri Parisiensis Episcopi, ubi continetur pax confirmata inter Cancellarium et Scholares a Judicibus delegatis a D. Papa, scilicet ab Episcopo et Decano Trecensi, et a Petro » Episcopo et Joanne Cancellario Parisiensi approbata et confirmata. » Et quod legant libros Aristotelis de Dialectica tam veteri quam de » nova in Scholis ordinarie et non ad cursum. Legant etiam in Scholis » ordinarie duos Priscianos vel alterum ad minus. Non legant in festivis » diebus nisi Philosophos et Rhetoricas, et Quadrivialia et Barbarismum, et Ethicam si placet et 4<sup>um</sup> Topicorum. Non legantur libri Aristotelis de Metaphysica et Naturali Philosophia, nec Summa de eisdem, » aut de Doctrina M. David de Dinant, aut Almarici Hæretici, aut » Mauricii Hispani.

» In Principiis et Conventibus Magistrorum, in Responsionibus vel » Oppositionibus Puerorum vel juvenum nulla fiant Convivia. Possunt » tamen vocare aliquos familiares vel socios, sed paucos. Donaria » autem vel vestium vel aliorum sicut solebant fieri alias, amplius fieri » monemus et præcipue pauperibus. Nullus Magistrorum legentium in » Artibus habeat Cappam nisi rotundam, nigram et talarem, saltem » dum nova est. Pallio autem bene potest uti. Sotulares non habeat sub » cappa rotunda laqueatos, nunquam liripipiatos. Si quis obierit Scholarium in Artibus, vel in Theologia, medieta Magistorum Artium eat » ad sepulturam una vice, et altera medieta alia, et non recedat donec » completa fuerit sepultura, nisi rationabilem habuerit causam. Si quis » obierit Magister in Artibus, vel in Theologia, omnes Magistri intersint vigiliis. Et quilibet legat vel legi faciat psalterium. Quilibet moram

» faciat in Ecclesia, ubi celebratur vigilia usque ad mediam noctem,  
» vel majorem partem noctis nisi rationabilis causa obstiterit. Die quo  
» tumulatur Magister, nullus legat vel disputet.

» Pratum S. Germani in eo statu in quo fuit eis adjudicatum, eis  
» plane confirmamus.

» Quilibet Magister forum sui Scholaris habeat. Nullus irrequisito  
» consensu Inquilini vel Scholas accipiat vel Domum, dum facultatem  
» habeat requirendi. Nullus incipiat Licentiatus a Cancellario, vel ab  
» alio data ei pecunia vel fide præstita, vel alia conventionē habita.  
» Item facere possunt magistri et Scholares tam per se, quam cum aliis  
» obligationes et Constitutiones fide vel pœna vel juramento vallatas in  
» his casibus, scilicet in Interfectione vel mutilatione Scholaris, vel in  
» atroci injuria illata Scholari, si defuerit Justitia. Pro taxandis pretiis  
» Hospitiorum, de Habitu, de Sepultura, de Lectionibus et Disputa-  
» tionibus: ita tamen quod propter hæc studium non dissolvatur aut  
» destruat.

» Circa statum Theologorum statuimus, quod nullus Parisiis legat  
» citra 53 ætatis annum, et nisi studuerit per octo annos ad minus, et  
» libros fideliter et in Scholis audiverit, et quinque annis audiat Theo-  
» logiam antequam privatas lectiones legat publice, et illorum Nullus  
» legat ante tertiam in diebus quando Magistri legunt. Nullus recipiatur  
» Parisiis ad lectiones solemnes, vel ad prædicationes, nisi probatæ  
» vitæ fuerit et scientiæ. Nullus sit Scholaris Parisiis, qui certum  
» Magistrum non habeat.

» Ut autem ista inviolabiliter observentur, omnes qui contumaciter  
» contra hæc statuta nostra venire præsumpserint, nisi infra quindecim  
» dies a die transgressionis, coram Universitate Magistrorum et Schola-  
» rium, vel coram aliquibus ab Universitate constitutis præsumptionem  
» suam curaverint emendare, Legationis qua fungimur, Authoritate,  
» vinculo excommunicationis innodamus. Actum anno gratiæ 1215,  
» mense augusti. In quorum testimonium et fidem in perpetuum facien-  
» dam præsentis litteras per infra scriptum Notarium nostrum qui  
» omnibus prædictis interfuit, fieri fecimus, et in publicam formam  
» redigi ac nostri sigilli munimine roborari (1). »

(1) Bulaeus, *Hist. Univ. Parisien.*, t. III, p. 81-82.

Hæc veluti constitutio complementum suum aliquot annis postea per ipsius Romani Pontificis Gregorii IX bullam sequentem recepit :

« GREGORIUS EPISCOPUS S. S. DEI Dilectis filiis universis Magistris et Scholaribus Parisiensibus salutem et Apostolicam Benedictionem. Parens scientiarum Parisiis velut altera Cariatsepher Civitas litterarum clara claret : magna quidem, sed de se majora facit optari : docentibus et discitentibus gratiosa : in qua utique tanquam in officina sapientiæ speciali habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est in quo rite conflatur. Ex quibus prudentes eloquii mystici murenulas aureas vermiculatas argento cudentes et fabricantes monilia ornata lapidibus pretiosis, imo nulli pretio comparandis sponsam Christi decorant et decorant. Ibi ferrum de terra tollitur : quia dum terrena fragilitas fortitudine solidatur, lorica fidei, gladius spiritus, et certa inde fit Christianæ militiæ armatura, potens adversus aëreas potestates et lapis calore solutus in eis vertitur, quia corda lapidea S. Spiritus afflata fervore dum ardent, incenduntur et fiunt prædicatione sonora, præconantia laudes Christi. Quare non est dubium quin Deo et hominibus graviter displiceret, quisquis in Civitate prædicta gratiam tam insignem niteretur ullatenus disturbare, vel disturbantibus se pro viribus potenter non opponeret et patenter. Unde cum super dissensione ibi diabolo instigante suborta Studium enormiter disturbante Quæstiones ad Nos delatas audiremus, diligenter eas potius Provisionis moderamine quam judiciali sententia de fratrum nostrorum sententia diximus sopiendas.

» Circa statum itaque Scholarum et Scholarium hæc statuimus observanda. Videlicet quod quilibet Cancellarius Parisiensis deinceps creandus, coram Episcopo vel de ipsius mandato in Capitulo Parisiensi, vocatis ad hoc et præsentibus pro Universitate Scholarium duobus Magistris in sua Institutione jurabit, quod ad regimen Theologiæ et Decretorum bona fide secundum conscientiam suam loco et tempore, secundum statum Civitatis et honorem ac honestatem Facultatuum ipsarum non nisi dignis Licentiam largietur, nec admittet indignos *Personarum et Nationum* acceptione summota. Ante vero quam quenquam licentiet, infra 5 menses a tempore petitiæ licentiæ tam ab omnibus Magistris Theologiæ in Civitate presentibus, quam aliis viris honestis, et litteratis, per quos veritas sciri possit de vita, scientia et facundia; nec non proposito et

spe proficiendi ac aliis quæ sunt in talibus requirenda, diligenter inquirat et inquisitione sic facta, quid deceat et quid expediat, bona fide det vel neget secundum conscientiam suam petenti Licentiam postulatam.

» Magistri vero Theologiæ ac Decretorum quando incipient legere, præstabunt publice juramentum, quod super præmissis fidele testimonium perhibebunt. Cancellarius quoque jurabit quod Consilia Magistrorum in malum eorum nullatenus revelabit Parisiensibus Canonicis, libertate ac jure in incipiendo habitis in sua manentibus firmitate.

» De Physicis autem et Artistis ac aliis Cancellarius bona fide promittet examinare Magistros, et non nisi dignos admittens repellat indignos.

» Cæterum quia ubi non est Ordo, facile reperit horror, Constitutiones seu ordinationes providas faciendi de modo et hora legendi et disputandi, de habitu ordinato, de mortuorum exequiis, nec non de Bachalariis: qui et quâ horâ et quid legere debeant, ac hospitiorum taxatione, seu etiam interdicto et rebelles ipsis constitutionibus vel ordinationibus per subtractionem societatis congrue castigandi, concedimus Facultatem. Et si forte vobis subtraheretur hospitiorum taxatio, aut quod absit, vobis aut alicui vestrum injuria vel excessus inferatur enormis, utpote mortis vel membrorum mutilatio, nisi congrue infra 15 dies fuerit satisfactum, liceat vobis usque ad satisfactionem condignam suspendere lectiones. Et si aliquem vestrum indebite incarcerari contigerit, fas sit vobis nisi commonitione præhabita cesset injuria, statim a lectione cessare, si tamen id videritis expedire.

» Præcipimus autem ut Parisiensis Episcopus sic castiget excessus, quod Scholarium servetur honestas, et maleficia non remaneant impunita: sed occasione delinquentium non capiantur ullatenus innocentes. Imo si contra quemquam suspicio fuerit orta probabilis, honeste detentus idonea cautione præstitâ cessantibus Carcerariorum exactio-nibus dimittatur. Quod si forte tale crimen commisit quod incarceratione sit opus, Episcopus culpabilem in carcere detinebit, Cancellario habere proprium carcerem penitus interdicto.

» Prohibemus insuper ne Scholares pro contracto debito de cætero capiantur, cum hoc sit Canonicis et legitimis sanctionibus interdictum. Sed nec Episcopus vel Officialis ejus, vel Cancellarius pœnam pecuniariam pro excommunicationis emenda, vel alia qualibet Censura requiret.

*Nec Cancellarius* a licentiandis Magistris juramentum vel obedientiam, seu aliam exiget cautionem, nec aliquod emolumentum seu promissionem pro licentia concedenda, juramento sæpius nominato contentus.

» Porro vacationes Æstivæ non extendantur de cætero ultra mensem : sed vacationum tempore Bachalarii, si voluerint, suas continuent lectiones.

» Inhibemus autem expressius ut Scholares per Civitatem armati non incedant, et Turbatores pacis et studii Universitas non deffendat. Et illi qui simulant se Scholares, nec tamen Scholas frequentant nec Magistrum aliquem profitentur, nequaquam Scholarium gaudeant libertate.

» Ad hæc jubemus, ut Magistri Artium unam lectionem de Prisciano, et unam post aliam ordinarie semper legant, et libris illis Naturalibus, qui in Concilio Provinciali ex certa causa prohibiti fuere, Parisiis non utantur : quousque examinati fuerint, et ab omni errorum suspicione purgati.

» Magistri vero et Scholares Theologiæ, in Facultate quam profitentur se studeant laudabiliter exercere, nec Philosophos se ostentent, sed satagant fieri Theodocti; nec loquantur in lingua populi, et populi linguam Hebræam cum Azotica confundentes : sed de illis tantum Quæstionibus in Scholis disputent, quæ per libros Theologicos et Sanctorum Patrum Tractatus valeant terminari.

» Præterea de bonis Scholarium qui intestati decedunt, vel rerum suarum Ordinationem aliis non committunt, sic diximus providendum, videlicet ut Episcopus et unus de Magistris quem ad hoc Universitas ordinaverit, recipientes omnia bona Defuncti, et in loco tuto et idoneo deponentes statuunt certum diem, quo illius obitus in patria sua valeat nunciari. Ut illi ad quos bonorum ejus erit successio devoluta, possint Parisios accedere, vel idoneum Nuncium destinare. Et si venerint vel miserint, restituantur eis bona cum cautela quæ fuerit adhibenda. Si vero non comparuerit aliquis, ex tunc Episcopus et Magister bona ipsa pro anima Defuncti, prout expedire viderint, erogabunt : nisi forsan ex aliqua justa causa venire nequiverint successores, et tunc erogatio in tempus congruum differatur. Verum quia Magistri et Scholares, qui damnis et injuriis laecessiti juramento invicem sibi præstito a Civitate Parisiensi dissipato studio discesserunt, nisi sunt causam agere non tam propriam quam communem; Nos generaliter Ecclesiæ necessitate ac utilitate pensata volumus et mandamus, ut postquam a Charissimo

in Christo filio nostro Illustri Rege Francorum Magistris et Scholaribus privilegia exhibita fuerint et de ipsorum Malefactoribus emendatæ taxatæ, Parisiis licite studeant nulla prorsus de mora vel reditu infamiali irregularitate notandi. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ provisionis, constitutionis, concessionis, prohibitionis et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire.* Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei et BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Laterani Idib. april. Pontif. nostri an. 5 (1). »

Tandem sequens Honorii III juris civilis Parisiis docendi inhibitiō affatim Pontificum auctoritatem extollit :

*Honorius, etc. Super specula, etc..... Sane licet Sancta Ecclesia Legum Secularium non respuat famulatum,* « quæ æquitatis et Justitiæ » vestigia imitantur : quia tamen in Francia et nonnullis provinciis » Laici Romanorum Imperatorum legibus non utuntur, et occurrunt » raro Ecclesiasticæ causæ tales, quæ non possint statutis Canonicis » expediri, ut plenius sacræ Paginæ insistatur » *et infra.* « Firmiter » interdiciamus et districtius inhibemus ne Parisiis vel in Civitatibus, » seu aliis locis vicinis quisquam docere vel audire Jus Civile præsumat. Et qui contra fecerit, non solum a causarum patrocinio interim » excludatur, verum etiam per Episcopum loci excommunicationis vinculo innodetur (2). »

Pragensis vero, primæ in Germania Universitatis, sequenti bulla a Clemente VI anno 1347 erectio sancita est :

« CLEMENS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. In suprema dignitatis Apostolicæ specula, quanquam insufficientibus meritis, Divinæ dispensationis munere constituti, ad universas fidelium Regiones, eorumque profectus, et commoda tanquam Universalis Dominici gregis Pastor, commissæ nobis speculationis aciem, quantum nobis ex alto permittitur, extendentes, fidelibus ipsis, ad quærenda literarum studia, per quæ Divini Numinis, Sanctæque Catholicæ fidei cultus protenditur, Justitia colitur, tam publica, quam privata

(1) Buleus, *Hist. Univ. Parisien.*, t. III, p. 440 sqq.

(2) Buleus, *Hist. Univ. Parisien.*, t. III, p. 96.

res utiliter geritur, omnisque prosperitas humanæ conditionis augetur, gratiosos libenter favores impendimus, et opportuna commoditatis auxilia impertimur.

» Nuper siquidem pro parte Charissimi in Christo Filij Nostri Caroli Regis Romanorum Illustris nobis exposito, quod in suo Regno Bohemiæ, multisque aliis eidem Regno finitimis Regionibus, atque terris, *Generale studium*, quod in illis partibus summe foret expediens, non haberetur, quodque Metropolitana Pragensis Civitas in ipsius Regni medio loco, quam saluberrimo sita, et a diversarum partium gentibus frequentata, ac in victualibus, aliisque vitæ necessarijs copiosa, ad hujusmodi *Generale* regendum, *dum particulare dudum in ea fuit studium*, accommodatum existat. Nos considerantes eximiam devotionis et Fidei puritatem, quam, tam ipse Carolus, et Prædecessores sui Bohemiæ Reges, quam, ejusmodi Regni incolæ ad Sanctam Ecclesiam Romanam gessisse, ac ipsi Carolus Rex et Incolæ gerere dignoscuntur; ferventi desiderio ducimur, ut Regnum ipsum, quod Divina Bonitas multitudine populi, rerumque copia prædotavit, fiat Literarum fertilitate fecundum, ac in eo quemadmodum auri et argenti fore dinoscitur, sic scientiarum prævalentium sit abundantia, ut Viros producat Consilij maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac Facultatum dogmatibus eruditos. Sitque ibi fons irriguus, de cujus plenitudine hauriant Universi Literalibus cupientes imbui dogmatibus.

» His igitur omnibus, et præsertim amœnitatibus Civitatis ad hujusmodi Universale, non solum præmissorum ejusdem Regni et Regionum circumadjacentium Incolarum; sed etiam aliorum, qui de diversis mundi partibus, ad eandem confluent Civitatem, commodum et profectum, paternis affectibus anhelantes, dicti Regis supplicationibus inclinati, de Fratrum nostrorum Consilio, Apostolica Autoritate statuimus, ut in dicta Civitate Pragensi, perpetuis futuris temporibus, *studium generale vigeat, in qualibet licita Facultate*, et quod legentes et studentes ibidem, omnibus Privilegijs, Libertatibus, et Communitatibus concessis Doctoribus, Legentibus, et studentibus, commorantibus in *studio Generali* gaudeant et utantur: quodque illi, qui successu temporis scientiæ Margaritam fuerint in illa Facultate, in qua studuerint, assecuti, sibi que docendi licentiam, ut alios erudire valeant, ac Magisterij honorem seu Titulum petierint impertiri, per Magistros seu Magistrum illius Facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, Archi-



Episcopo Pragensi, qui est pro tempore, præsententur. Idem quoque Archi-Episcopus Doctoribus et Magistris in eadem Facultate, inibi actu Regentibus, convocatis, illos in ijs quæ promovendis ad Doctoratus seu Magisterij honorem requiruntur, per se vel alium, juxta modum et consuetudinem, quæ super talibus in Generalibus studijs observantur, examinare studeat diligenter, eisque si ad hoc sufficientes et idonei reperti fuerint, hujusmodi licentiam tribuat, ac honorem seu Titulum conferat Magistralem. Illi vero qui in eodem studio dictæ Civitatis examinati, et approbati fuerint, ac docendi Licentiam et honorem, seu Titulum Magisterij obtinuerint, ut est dictum, ex tunc *absque examine et approbatione alia* regendi, et docendi, tam in Civitate prædicta, quam alibi ubicunque, quibuscunque tam dictæ Civitatis, quam *quoruntlibet aliorum locorum seu Generalium studiorum*, in quibus voluerint regere, vel docere, statutis et consuetudinibus contrarijs, Apostolica vel quacunque firmitate vallatis, nequaquam obstantibus, plenam et liberam habeant facultatem. Nulli ergo hominum etc. Datum Avenione 7. Cal. Feb. Anno 5. id est 1547. 23. Jan. (1). »

Sequens Clementis XII bulla, licet erectam jam privilegiiisque a rege donatam Universitatem confirmans, auctoritatis Apostolicæ in ejusmodi negotiis dirimendis tunc agnitam plenitudinem eo vel luculentius exhibet, quod temporibus istis Romani Pontificis jura nimiam jam a potestate seculari circa ipsas res omnino ecclesiasticas jacturam perpessa erant. Annum autem 1730, ætatem igitur nostris temporibus viciniorem respicit :

« CLEMENS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei, ad perpetuam Rei memoriam. Imperscrutabilis Divinorum Judiciorum altitudo statim atque humilitatem nostram ad sublime Apostolicæ Dignitatis culmen, nullo licet meritorum nostrorum suffragio evexit, inter multiplices, et quæ nobis occurrerunt Apostolatus Universi curas ad propagandas, fovendasque studiorum generalium Universitates, per quas spiritualibus Evangelicæ Disciplinæ armis invisibiles Militantis Ecclesiæ hostes triumphali certamine profligantur, peculiari sollicitudinis studio mentis nostræ aciem

(1) Volckman, *Gloria Universitatis... Pragensis*, p. 7-9.

jure optimo convertimus. Hinc ubi operosa Christianorum Principum, præsertim Charissimi in Christo Filii nostri Philippi V. Hispaniarum Regis Catholici, Divinam rem in eorum Regnis non solum valido temporalium armorum, verum etiam cœlesti Sacrarum literarum clypeo tueri satagentium Religio, si quas universitates hujusmodi ab eorundem Principum locupleti manu, ad majorem Dei gloriam, eorum Regiæ largitatis laudem, et Populorum suorum ornamentum noviter erectas, et approbationis aliisque Apostolicæ nostræ liberalitatis insignibus nobis exhibet decorandas, hilari Paterni nostri amoris amplexu eas excipimus, et illustria Erigentium charismata laudantes, eaque æmulantes in Domino, æquo animo, et provida manu omnia desuper impartimur, quæ felici ipsarum Universitatum successui, et perenni suorum Fundatorum monumento conspicimus in eodem Domino salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus, Charissimus in Christo Filius noster Philippus hoc nomine V. Hispaniarum Rex Catholicus, cupiens, prout vere Catholicum decet Regem, ut in singulis Regnis, et Principatibus Regiæ suæ Ditioni subjectis, non solum temporalis, verum etiam spiritualis res, ad Divini Nominis gloriam, et Ecclesiasticæ discipline augmentum efflorescat in dies, et attendens quantum ad id utilitatis afferre soleant approbatæ studiorum generalium Universitates, unam studii generalis hujusmodi Universitatem in Conspicuo, et sibi pergrato Oppido Civitate nuncupato Cervariæ Cælsonen. Diœcesis, quod nobilissima amœnitate Cœli, et soli ubertate supra Collem, qui cognomine Fluvio alluitur ad umbilicum fere Provinciæ Cathalauniæ positum existit, maximis quibusque non disparem, et inter omnes Universitates hujusmodi Europæ in ejus Ædificii magnitudine æmulam pro Adolescentibus præsertim ex Principatu Cathalauniæ oriundis, et ad eam pro inibi Juris Canonici, Theologiæ aliarumque Ecclesiasticarum Scientiarum et ingenuarum Artium studiis incumbere cupientibus cum congruo Lectorum, Magistrorum, Præceptorum, et Doctorum Jus, ac Theologiam, necnon scientias, et Artes præfatas, legentium et docentium illuc introductorum Bidellorum, aliorumque ministrorum eidem Universitati inservientium numero propriis Regiis ejusdem Philippi Regis sumptibus erexerit, et fundaverit, eamque sic erectam, et fundatam pro illius, necnon Juvenum, ac Lectorum, Magistrorum, Præceptorum, Doctorum, Bidellorum, aliorumque ministrorum inibi inservientium præfatorum congrua mantentione, et sustentatione redditibus Regiis dotaverit, ac etiam ditare

voluerit, variisque privilegiis, Immunitatibus, gratis, et exemptionibus ex ejus Regia liberalitate perpetuo donaverit, et ad ejusdem Universitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, fundatæ, et dotatæ, illiusque Personarum, rerum, et bonorum spiritualium, et temporalium curam, regimen, et administrationem, ac juvenum præfatorum pro tempore recipiendorum, et admittendorum receptionem, admissionem, victum, amictum, instructionem, disciplinam, studiorum directionem, aliaque ad providum ejusdem Universitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, gubernium spectantia quomodolibet, et pertinentia, infra scripta statuta desuper edi curaverit tenoris sequentis, videlicet: *Constitutiones Academiæ Cervariensis.* \*\*\* Cum autem, sicuti etiam accepimus, ex Universitatis a præfato Philippo Rege, sic, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, aliisque præmissis præfatis, idem Philippus Rex firmam spem, fiduciamque habeat in illo, qui bonæ menti occurrit, quod Universitas ab eo, sic, ut præfertur, erecta, et fundata hujusmodi, gratia adjuvante Domini, qui pie cœptis assiduum suæ benedictionis præbet incrementum, felici temporum successu, celebre, et innumerum proborum virorum, ad procurandos Militanti Ecclesiæ triumphos, evasura sit Propugnaculum: proptereaque, ut illa firmior subsistat, et in dies gratior in conspectu ejusdem Domini appareat, idem Philippus Rex erectionem, et foundationem Universitatis præfate, ab eo, ut præfertur, erectæ et fundatæ, nec non Statuta desuper, ut præfertur, edita, benigno Apostolicæ Nostræ approbationis, et confirmationis robore communiri, eidemque Universitati, ab eodem Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, ac Scholaribus, necnon Lectoribus, Magistris, Præceptoribus, Doctoribus, Bidellis, aliisque Ministris in ea nunc, et pro tempore existentibus præfatis, omnia, et singula infrascripta a Nobis, ut infra concedi, indulgeri, elargiri, ac statui plurimum cupiat.

« Nos, qui ad Christianorum Principum Religionem in iis, quæ ad animorum eruditionem elevandam per eorum Regiam largitatem studia promovere non desinunt, adjutricem Nostræ quoque liberalitatis dexteram, ut præfertur, protendimus, eamque quantum in Domino possumus, confovemus; proptereaque laudabilibus, et Regia quidem charitate dignis dicti Philippi Regis votis annuere, ac Universitatem ab eo, ut præfertur, erectam et fundatam hujusmodi, ut illa per Apostolicæ quoque liberalitatis opem nunc, et perpetuis inde futuris temporibus felici successui, et a Præfato Philippo Rege concupitæ coalescat stabilitati,

specialibus favoribus , et gratiis prosequi volentes , ac Scholasticum , Scholares , Lectores , Magistros , Præceptores, Doctores, Bidellos, aliosque Ministros Universitatis ab eodem Philippo Rege , ut præfertur , erectæ et fundatæ , eorumque singulares Personas a quibusvis excommunicationis , suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum presentium tantum consequendum , harum serie absolventes, et absolutas fore censentes ; necnon denominationes, nuncupationes, situationes, statum, et qualitates Universitatis a præfato Philippo Rege , ut præfertur , erectæ , et fundatæ hujusmodi , illiusque erectionis , et foundationis præfatarum tenores , ac bonorum ei applicatorum , et appropriatorum quantitates , ac omnia , et singula privilegia , gratias , exemptiones , et immunitates , quibus illa a præfato Philippo Rege, ut præfertur donata exitit, et existit de præsentî pro expressis habentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum Ludovici Pico , et Ludovici Belluga , et Moncada respective nuncupatorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, quibus a felic. record. Benedicto PP. XIII. Prædecessore Nostro omnia , et singula præmissa, ac infrascripta ab eis examinanda commissa fuerunt, quæque sic commissa , et per eos examinata , concedenda sancitum fuit ; Motu proprio, et ex certa scientia, et Apostolicæ Potestatis plenitudine , meraque liberalitate Nostris erectionem, et foundationem Universitatis studii generalis, in præfato Oppido, a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ hujusmodi, cum omnibus, et singulis inde secutis, et ab eodem Philippo Rege pro bono ejusdem Universitatis , ab eo, ut præfertur , erectæ, et fundatæ hujusmodi, ac Scholarium , Præceptorum , Magistrorum, Doctorum, Bidellorum, aliorumque Ministrorum in ea nunc, et pro tempore existentium præfatorum regimine, gubernio, directione, ac morum , et disciplinæ laudabili cultu desuper quomodolibet provide dispositis , statutis, et decretis, nec non bonorum omnium, et singulorum a præfato Philippo Rege , eidem Universitati ab eo, ut præfertur , erectæ, et fundatæ applicatorum, et appropriatorum, applicationem, et appropriationem, omniaque, et singula privilegia, gratias, exemptiones, et immunitates a præfato Philippo Rege eidem Universitati, ab eo, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, Regia ejus auctoritate quomodolibet , ut præfertur, concessa , et elargita ; nec non omnia , et singula præinserta Statuta desuper edita præfata , eorumque plenum, et integrum tenorem

de verbo ad verbum, nullo eorum verbo penitus omisso, pœnasque in eis contentas quascumque, in contra facientes quomodolibet inflictas, Apostolica Auctoritate perpetuo confirmamus, et approbamus, eisque, et eorum quibuslibet Apostolicæ perpetuæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes, et singulos tam juris, quam facti, et solemnitatum, aliosque quantumvis substantiales defectus, si qui in eorum omnibus, et singulis præfatis, et eorum quolibet, quomodolibet intervenerint, supplemus; præinsertaque, ac desuper edita Statuta præfata per Universitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ hujusmodi, Scholares, Lectores, Præceptores, Magistros, Doctores, Bidellos, aliosque Ministros, et Personas in ea nunc, et pro tempore existentes præfatos, ac quoscumque alios, ad quos nunc quomodolibet spectat, et pertinet, et pro tempore spectabit, et pertinebit, sub pœnis eis desuper inflictis, perinde ac si a Nobis emanassent, firmiter, et inviolabiliter observari debere, Apostolica Auctoritate præfata perpetuo decernimus, et statuimus.

» Et attendentes, quod in Principatu præfato, una videlicet in Tarraconen. ac alia in Ilerden. ac alia in Vicensi. ac alia in Gerunden. ac reliqua studiorum generalium hujusmodi Universitates in Barchinonen. respective Civitatibus, vel Diœcesibus erectæ, et fundatæ, nec non unum sub Sanctissimæ Conceptionis B. M. V. ac alterum Sedi Apostolicæ immediate subjectum, studiorum hujusmodi Collegia sub Assumptionis ejusdem B. M. V. respective invocationibus, seu Titulis in præfata Ilerden. Civitate a nonnullis Christifidelibus, pro certis alumnis; et quo ad secundo dictum Collegium, juxta illius foundationem debite qualificatis, utriusque Juris studio vacare cupientibus, et quoad Collegium secundo dictum, ad illud, ad nominationem certarum Personarum de eorundem Alumnorum, ut præfertur, qualificatorum Personis faciendam, introducendis, pie pariter erecta, et fundata reperiuntur.

» Nos ad erigenda ejusdem Philippi Regis, erga Universitatis, ab eo, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, et a Nobis per præsentis, ut præfertur, approbatæ hujusmodi, fœlicem, et ab ipso Philippo Rege laudabiliter concupitum successum, vota, ut plures huc illuc emanantes Scientiarum rivuli, in unum aggregati, copiosum earundem Scientiarum illas sitientibus exhibeant fontem, Tarraconen. Ilerden. Vicensi. Gerunden. et Barchinonen. Universitates præfatas, et earum quamlibet abstrahentes, eas sic a Nobis abstractas, una cum omnibus, et singulis illarum,

et cujuslibet earum respective bonis, juribus, actionibus, proprietatibus, rebus, bibliothecis, libris, scamnis, sedibus, aliisque utensilibus quibuscumque, ad earum quamlibet quomodolibet respective spectantibus, et pertinentibus, dictæ Universitati, a præfato Philippo Rege, ut præferatur, erectæ, et fundatæ, et a Nobis per præsentés, ut præferatur, approbatæ, ita quod, ex omnibus, et singulis Universitatibus, a Nobis, ut præferatur, abstractis, et ut infra uniendis, una dumtaxat studii generalis Universitas in Principatu præfato constituatur, et existat; liceatque infrascripto Universitatis, a præfato Philippo Rege, ut præferatur, erectæ, et fundatæ, et a Nobis per præsentés etiam, ut præferatur, approbatæ hujusmodi, Scholastico nunc, et pro tempore existenti, veram, realem, corporalem, et actualem omnium, et singulorum respective honorum, rerum, proprietatum, jurium, et actionum, ad Universitates, a Nobis, ut præferatur, abstractas hujusmodi, et ad earum quamlibet respective spectantium, et pertinentium, nec non bibliothecarum, librorum, scamnorum, sedium, aliorumque utensilium in eis, et earum qualibet respective existentium præfatorum possessionem propria auctoritate ejusdem Universitatis a præfato Philippo Rege, ut præferatur, erectæ, et fundatæ, et a Nobis per præsentés etiam, ut præferatur, approbatæ, nomine libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, nec non omnes, et singulos respective omnium, et singulorum bonorum, rerum, proprietatum, jurium, et actionum præfatorum respective fructus, redditus, et proventus in quacumque re consistentes, et undecunque provenientes percipere, exigere, levare, locare, dislocare; eosque, supportatis tamen prius, et adimpletis omnibus, et singulis bonorum hujusmodi oneribus, si quæ super illis imposita sint ab eisdem Universitatibus a Nobis, ut præferatur, abstractis, et ab earum qualibet adimpleri debitis, ad quorum omnium adimplementum, et supportationem Universitatem a præfato Philippo Rege, ut præferatur, erectam, et fundatam, et a Nobis per præsentés etiam, ut præferatur, approbatam hujusmodi, expresse teneri, et obligatam esse volumus, nec non bibliothecas, libros, scamna, sedes, aliaque omnia, et singula utensilia præfata in Scholarium, ac Lectorum, Magistrorum, et Præceptorum, Doctorum, et Bidellorum, aliorumque Ministrorum in ea nunc, et pro tempore existentium præfatorum manutentionem, usum, utilitatem, et commodum, cujusvis licentia desuper minime requisita, convertere, Motu, Scientia, et Apostolicæ Potestatis plenitudine præfatis perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus.

Nec non unum, et alterum Collegia præfata, cum pariter omnibus, et singulis illorum respective bonis, rebus, proprietatibus, illorumque fructibus, redditibus, proventibus, juribus, privilegiis, gratiis, indultis, et statutis, quæ omnia, et singula, nec non activum nominantium, et passivum nominandarum Personarum respective Jus, et uni, et alteri Collegiis hujusmodi respective incumbentia onera, quæ per unum, et alterum Collegia præfata, ut prius adimpleri respective debeant, firma, et illæsa remaneant, ad Universitatem a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectam, et fundatam, et a Nobis per præsentem etiam, ut præfertur, approbatam hujusmodi, licet Ven. Frater modernus Episcopus Herdensis secundo dictum Collegium, ut infra transferri renuat, illiusque bonorum fructus, qui fere omnes ex ejusdem Sedis liberalitate proveniunt, Seminario Puerorum Ecclesiastico Herdensi applicare prætentat, et seu jam fructus, redditus, et proventus hujusmodi eidem Seminario ordinaria ejus auctoritate, nulliter tamen, et de facto applicaverit, et appropriaverit, et quatenus, ut præfertur, applicati, et appropriati fuerint, ad hoc, ut Universitas a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erecta, et fundata, et a Nobis per præsentem etiam, ut præfertur, approbata hujusmodi, una dumtaxat fœcunda studiorum, et doctissimorum virorum Nutrix existat, et Mater, applicationem, et appropriationem hujusmodi a præfato Episcopo Herdensi, uti nulliter, et indebite factas, annullantes, et amovescentes Apostolica Auctoritate, Motuque, et Scientia præfatis similiter perpetuo transferimus, eidemque Universitati a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, ac a Nobis per præsentem etiam, ut præfertur, approbatæ subjicimus, et subjecta esse volumus.

Ac eidem Universitati a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, ac a Nobis per præsentem etiam, ut præfertur, approbatæ, illiusque Scholastico, Scholaribus, Lectoribus, Magistris, Præceptoribus, Doctoribus, Bidellis, aliisque Personis in ea nunc, et pro tempore existentibus, ut ipsi omnibus, et quibuscunque privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, præeminentiis, prærogativis, antelationibus, et honoribus tam Apostolica, Imperiali, Regia, aut Ducali auctoritatibus, quam alias quomodolibet pro tempore concessis, et quibus omnes, et singulæ studiorum generallium hujusmodi, et præsertim *Salamantin.* Universitates, illarumque respective Scholastici, Scholares, Præceptores, Magistri, Lectores,

Doctores, Bidelli, aliæque Personæ in eis, et earum qualibet existentes, quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, non solum ad eorum instar, sed pariformiter, et æque principaliter in omnibus, et per omnia, et omnino quo ad omnia; dummodo tamen illa sint in usu, nec revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, ac Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, et Concilii Tridentini Decretis non adversentur, uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite possint, et valeant, eadem Apostolica Auctoritate concedimus, et indulgemus.

Ac insuper Scholastico Universitatis præfatæ a dicto Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, et a Nobis per præsentem etiam, ut præfertur, approbatæ, nunc et pro tempore existenti præfato, ut ipse personas ipsas, quas in ipsa Universitate a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erecta, et fundata, et a Nobis per præsentem etiam, ut præfertur, approbata, vel etiam alibi in quavis alia studii generalis Universitate per debitum tempus studuisse, ac scientia, et moribus idoneos esse repererit, ad præfatas Jurium, Artium, ac Theologiæ, Facultates, ac Baccalaureatus etiam formati, Licentiaturæ, Doctoratusque, et Magisterii gradus, servata forma Concilii Viennen. ac alias juxta præfatæ Universitatis Salamantin. consuetudines, et præfata ipsius a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, et a Nobis per præsentem etiam ut præfertur, approbatæ Universitatis præinserta statuta hujusmodi, promovere, et eorundem graduum respective insignia ad eosdem gradus sic respective promotis exhibere, et ad dictos gradus sic per illum promoti, postea publice, et privatim etiam in omnibus aliis studiorum generalium Universitatibus Facultates ipsas interpretari, et alios docere, et de eis disputare, actusque gradui, seu gradibus hujusmodi convenientes exercere, ac omnibus pariter privilegiis, prærogativis, gratiis, favoribus, et indultis, quibus alii in aliis Universitatibus hujusmodi, juxta illarum constitutiones, et mores ad gradus præfatos promoti de jure, usu, stylo, vel consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere poterunt in futurum, in omnibus, et per omnia perinde ac si in aliis Universitatibus hujusmodi, gradus ipsos, juxta illarum consuetudines, et mores vere suscepissent, etiam uti, frui, potiri, et gaudere etiam libere, et licite possint, et valeant, licentiam tribuimus, et facultatem.

Nec non Scholastico, Scholaribus, Lectoribus, Magistris, Præcepto-



ribus, Doctoribus, Bidellis, aliisque Personis in Un̄iversitate a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erecta, et fundata, ac a Nobis per præsentes etiam, ut præfertur, approbata hujusmodi, nunc, et pro tempore existentibus, ut Ipsi, et eorum quilibet nunc, et perpetuis inde futuris temporibus in Un̄iversitate a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erecta, et fundata, ac a Nobis per præsentes etiam, ut præfertur, approbata hujusmodi, in quacumque Facultate licita, et honesta, per octo menses continuos, vel interpolatim legendo, aut alias litterarum studia hujusmodi, studio insistendo, omnium, et singulorum Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos, et eorum quemlibet in quibusvis Ecclesiis, sive locis obtentorum fructus, redditus, et proventus, etiamsi Canonicatus, et Præbendæ, Dignitates, Personatus, Administrationes, et Officia etiam electiva in Cathedralibus, Metropolitanis, et Collegiatis Ecclesiis, et Dignitates ipsæ in Cathedralibus, et Metropolitanis post Pontificales majores, et in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi Principales fuerint, cum omnimoda, et ea, qua si in Ecclesiis, sive locis hujusmodi personaliter residerent, integritate perciperent, exceptis dumtaxat distributionibus quotidianis, libere percipere, exigere, levare, locare, dislocare, arrendare, ac in eorum usus, et utilitatem convertere; et invitos, donec tamen, et quousque in ipsa Un̄iversitate a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erecta, et fundata, et a Nobis per præsentes etiam, ut præfertur, approbata, Cathedras moderando, aut studiis vacando moram fecerint, ad residentiam apud easdem Ecclesias, ratione Beneficiorum præfatorum per eos, ut præfertur, obtentorum, faciendam, a quoquam minime compelli possint.

Et ad excitandum, non solum per temporalia, verum etiam per spiritualia privilegia, iter ad earundem scientiarum appetitum, eisdem Un̄iversitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, et a Nobis per præsentes etiam, ut præfertur, approbatæ hujusmodi Scholastico, Scholaribus, Lectoribus, Magistris, Præceptoribus, Doctoribus, Bidellis, aliisque Ministris nunc, et pro tempore existentibus præfatis, et eorum cuilibet, ut ipsi in eorum Un̄iversitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, ac a Nobis per præsentes etiam, ut præfertur, approbatæ hujusmodi Cappella, seu Oratorio annuo Præcepto Paschali satisfacere, cum hoc tamen, quod singulis annis omnium, et singulorum, Scholastici, Scholarium, Lectorum, Magistrorum, Præceptorum, Doctorum, Bidellorum, aliorumque Minis-

trorum præfatorum, qui in Cappella, seu Oratorio hujusmodi, præcepto præfato satisfecerint, notula a Scholastico nunc, et pro tempore existente præfato, seu ab alio, ad id ab eodem Scholastico deputato, subscripta unicuique uniuscujusque Parochialis Ecclesiæ, in cujus Parochialis Ecclesiæ limitibus Parochialibus Scholares, Lectores, Magistri, Præceptores, Doctores, Bidelli, aliique Ministri præfati, et eorum quilibet respective, extiterint, respective Rectori exhibeatur, similiter libere, et licite possint, et valeant, eadem Apostolica Auctoritate etiam perpetuo concedimus, et indulgemus.

Ac præterea omnibus, et singulis in Universitate a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erecta, et fundata, et a Nobis per præsentem etiam, ut præfertur, approbata hujusmodi nunc, et pro tempore existentibus præfatis, qui singulis per præinserta Statuta hujusmodi, statutis diebus, vere penitentes, et confessi, ac sacra communione refecti in Cappella, seu Oratorio hujusmodi, pias ad Deum, pro S. Matris Ecclesiæ exaltatione, Hæresum extirpatione, Hæreticorum, et Infidelium conversione, Principum Christianorum Pace, et Concordia, ac Romani Pontificis pro tempore existentis salute, preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum veniam, et remissionem, eadem Apostolica Auctoritate etiam perpetuo concedimus, et elargimur.

Necnon, ut in dictæ Universitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, et a Nobis per præsentem etiam, ut præfertur, approbatæ, Typographia omnes, et singulæ Conclusiones in ea proponendæ, et definiendæ, nec non Privilegia ei concessa, ac præinserta Statuta edita, et pro bono ejusdem Universitatis, a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, et a Nobis per præsentem etiam, ut præfertur, approbatæ, ac Scholarium, Lectorum, Magistrorum, Præceptorum, Doctorum, Bidellorum, aliorumque Ministrorum hujusmodi regimine, pro tempore edenda decreta, absque ullo alio, quam illius Scholastici nunc, et pro tempore existentis permissu, edi, et prælo dari possint, licentiam impartimur.

Porro, ut salubri, et felici Universitatis, a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, et a Nobis per præsentem etiam, ut præfertur, approbatæ hujusmodi, regimini consulamus, illius Scholasticum nunc, et pro tempore existentem præfatum, in ejusdem Universitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, et a Nobis per præsentem etiam, ut præfertur, approbatæ, Cancellarium, et Rectorem,

penes quem universa ipsius Universitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, et a Nobis per præsentés etiam, ut præfertur, approbatæ hujusmodi, cura, regimen, administratio, ac jurisdictio tam civilis, quam criminalis, et tam gubernativa, quam œconomica, uti verum, et legitimum illius Præsulem, Patrem, et Judicem privative, quoad quoscumque alios, plene resideat, ita quod liceat Scholastico nunc, et pro tempore existenti præfato omnia et singula ejusdem Universitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, et a Nobis per præsentés etiam, ut præfertur, approbatæ, bona, et jura, in ejusdem Universitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, ac a Nobis per præsentés etiam, ut præfertur, approbatæ, utilitatem, et conservationem, nec non augmentum, administrare, et defendere, et seu administrari, et defendi facere, nec non Studia, Scholas, Scholares, Magistros, Lectores, Præceptores, Doctores, Bidellos, aliosque Ministros inibi pro tempore existentes dirigere, visitare, corrigere, et punire, nec non quascumque lites, et causas, tam civiles, quam criminales dictam Universitatem a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectam, et fundatam, et a Nobis per præsentés etiam, ut præfertur, approbatam, tangentes, etiam inter Scholares, Lectores, Magistros, Præceptores, Doctores, Bidellos, aliosque Ministros præfatos, et eorum quemlibet, ac alias ex una, et altera partibus nunc introductas, et pendentes, et pro tempore quomodolibet introducendas, et movendas in futurum judicare, definire, fineque debito terminare, et sententias de super latas, et ferendas, etiam per censuras, aliasque pœnas Ecclesiasticas, uti vero, legitimo, et competente Judice exequi, nec non præinserta, et a Nobis per præsentés, ut præfertur, approbata Statuta præfata, sub pœnis in contrafacientes, et rebelles statutis, et inflictis, inviolabiliter observari facere, eaque interpretari, et si rerum, et temporum ratio id suaserit, moderari, aliaque de novo, dummodo tamen illa præfati Concilii Tridentini, decretis, constitutionibus Apostolicis, ac sacris Canonibus præfatis non adversentur, condere, conditaque similiter, ut præfertur, observari facere; nec non dicere, et gerere omnia, et singula alia, quæ provido ejusdem Universitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, et a Nobis per præsentés etiam, ut præfertur, approbatæ, regimini, illiusque tranquillo statui pro tempore expedire dignoscuntur, Apostolica Auctoritate, Motu, scientia, et potestatis plenitudine præfatis pariter perpetuo constituimus, et deputamus.

Cæterum Nos, ut cupientes absconditum in agro literarum studii, acquirere scientiæ Thesaurum, qui suos non solum provehit Professores, et illustrat, verum etiam Domum Dei insignit, et decorat, avidiori ejusdem Thesauri, ad eorum cupiditatis satietatem, Divini Servitii decorem, Spirituale Animarum subsidium, afficiantur amore, unum, et unam ex Tarraconensi, ac unum, et unam ex Barchinonensi, ac unum, et unam ex Herdensi, ac unum, et unam ex Gerundensi, ac unum, et unam ex Vicensi, ac unum, et unam ex Urgellensi, ac unum, et unam ex Dertusensi, ac unum, et unam respective Canonicatum, et Præbendam ex Celsonensi respective Ecclesiarum, et earum cujuslibet respective Canonicatibus, et Præbendis, illum, et illam videlicet ex eisdem respective Canonicatibus, et Præbendis, qui, et quæ primum per cessum etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu privationem, aut quamvis aliam demissionem, vel amissionem illos, et illas respective obtinentis, seu respective obtinentium, aut alias quovis modo etiam in quibuscumque mensibus Nobis, et Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, Sedi que præfatæ, per quascumque Constitutiones Apostolicas, vel Nostras, et Cancellariæ Apostolicæ Regulas editas, vel edendas, aut alias quomodolibet reservatis, aut Ordinariis Collatoribus, etiam per Constitutiones, et Regulas easdem, seu literas alternatarum, aut alia Privilegia, et indulta etiam S. R. E. Cardinalibus etiam de Latere Legatis, Vice-Legatis, dictæque sedis Nunciis concessa, competentibus respective vacare contigerit, unicuique ex Clericis, seu Presbyteris Professoribus Academiæ, seu Proprietatis, sive Regentiæ Cathedralis in Universitate præfata a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erecta, et fundata, et a Nobis per præsentem etiam, ut præfertur, approbata, obtinentibus, ab Academia, videlicet, Collegio Definitorum, vulgo nuncupato, Claustro de Deputados, Universitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, et a Nobis per præsentem etiam, ut præfertur, approbatæ hujusmodi, cessantibus tamen reservationibus, et affectionibus Apostolicis, nominandis seu præsentandis, et a pro tempore existente Cancellario præfato, non tamen in vacationibus Sedi Apostolicæ præfatæ reservatis, instituendis; et cum hoc tamen, quod ipsi, qui pro tempore de Canonicatibus, et Præbendis, ut infra per Nos affectis, provisi fuerint, post eorundem respective Canonicatum, et Præbendarum ab eis adeptam possessionem, ad personalem residentiam, apud eorum respective Ecclesias, ratione eorundem respective

Canonicatum, et Præbendarum faciendam, se conferre omnino teneantur, Auctoritate, ac Motu paribus perpetuo afficimus, et ex nunc affectos esse volumus; dictosque Canonicatus, et Præbendas sic affectos, et affectas, quoties illos, et illas in posterum pariter per cessum, etiam ex causa permutationis, seu decessum, aut privationem, vel quamvis aliam dimissionem, aut amissionem, illos et illas pro tempore respective obtinentium, vel alias quovis modo, etiamsi ex illo quævis generalis reservatio, etiam in corpore Juris clausa resultet, etiam apud Sedem præfatam, etiam in aliquo ex mensibus, in quibus vacantium Beneficiorum Ecclesiasticorum collatio, provisio, et quævis alia dispositio Nobis, et dictæ Sedi etiam per Constitutiones, et Regulas easdem reservata extiterit, seu Ordinariis Collatoribus etiam per Constitutiones, et Regulas præfatas, vel alternativarum Literas, aut alia privilegia, et indulta hæc tenus concessa, vel in posterum concedenda competentibus, quocumque tempore, ex illos et illas, pro tempore obtinentium respective Personis vacare contigerit, etiamsi illi, et illæ alias dispositioni Apostolicæ quomodolibet reservati, et reservatæ, seu quacumque affectione, etiam ratione ejuscumque familiaritatis etiam Nostræ affecti, et affectæ extiterint, Clericis, seu Presbyteris Professoribus Academiæ, seu Proprietatis sive Regentiæ Cathedram in Universitate præfata a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erecta, et fundata, et a Nobis per præsentem etiam, ut præfertur, approbata, obtinentibus præfatis omnino conferri debere; alioquin præsentationes, institutiones, collationesque quascumque aliis, quam Professoribus præfatis, pro tempore factas, nullas, et invalidas, nulliusque roboris, vel momenti fore, et esse, nullique jus, aut coloratum titulum possidendi tribui posse.

Easdemque præsentem nullo unquam tempore, ex eo quod causæ, propter quas illæ emanarunt, coram locorum Ordinariis etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, vel alibi examinatæ, verificatæ, et justificatæ, ac etiamsi Ordinarii, Capitula præfata, seu alii, ad id quomodolibet interesse habentes, vocati non fuerint, neque illis consenserint, aut alio quocumque prætextu de intentionis Nostræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, ad terminos juris reduci, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas, quodcumque juris, facti, vel gratiæ, aut oris aperitionis remedium impetrari posse, nec eas sub quibusvis unionum, annexionum, incorporationum, suppressionum, extinctionum, separationum, dismembrationum, applicationum, appropriationum,

translationum , affectionum etiam effectum suum non sortitarum , aliarumque similium , vel dissimilium gratiarum , revocationibus , suspensionibus , limitationibus , modificationibus , aut aliis contrariis dispositionibus per Nos , seu alios Romanos Pontifices Successores Nostros , aut Sedem eandem , etiam cum quibusvis derogatarum derogatoriis , aliisque efficacioribus , et insolitis Clausulis , nec non irritantibus , et aliis decretis pro tempore factis præfatis , etiam si de eisdem præsentibus , earumque toto tenore , et data specialis specifica , expressa , et individua mentio fiat , comprehendi ; sed tanquam ad Fidei Catholicæ , et Divini Cultus favorem , ac Publicam utilitatem , et salutem concessas , semper validas , et efficaces esse , et fore , suosque plenarios , et integros effectus sortiri , et obtinere debere , ac quoties illæ emanabunt , toties in pristinum , et eum , in quo antea quomodolibet erant , statum restitutas , repositas , et plenarie reintegratas , ac de novo etiam sub quacumque posteriori data , per Scholasticum , Scholares , Magistros , Lectores , Præceptores , Doctores , Bidellos , aliosque Ministros præfatæ Universitatis a præfato Philippo Rege , ut præfertur , erectæ , et fundatæ , et a Nobis per præsentibus etiam , ut præfertur , approbatæ , nunc , et pro tempore existentes præfatos , ac alios , quos eadem præsentibus concernent , quandocumque eligenda , concessas esse .

Sicque , et non alias per quoscumque Iudices Ordinarios , et Delegatos quavis auctoritate fungentes , etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores , ac præfatæ S. R. E. Cardinales , etiam de Latere Legatos , Vice-Legatos , dictæque Sedis Nuncios , sublata eis , et eorum cuilibet , quavis aliter iudicandi , definiendi , et interpretandi facultate , iudicari , definiri et interpretari debere , et quidquid secus , super his , a quoquam quavis auctoritate scienter , vel ignoranter contigerit attentari , irritum , et inane decernimus .

Quocirca Ven. Fratribus Nostris Archiepiscopo Tarraconensi , et Episcopo Gerundensi , ac Dilecto Filio Scholastico Universitatis a præfato Philippo Rege , ut præfertur , erectæ , et fundatæ , et a Nobis per præsentibus etiam , ut præfertur , approbatæ præfatæ , nunc , et pro tempore existentibus , per Apostolica scripta mandamus , quatenus ipsi , et eorum cuilibet , per se vel alium , seu alios , etiamsi sint extra loca , in quibus deputati sunt Conservatores , et Iudices ipsis Universitati a præfato Philippo Rege , ut præfertur erectæ , et fundatæ , et a Nobis per præsentibus etiam , ut præfertur , approbatæ , Doctoribus , Magistris , Lecto-

ribus, Scholaribus, Bidellis, aliisque Universitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, et a Nobis per præsentés etiam, ut præfertur, approbatæ, hujusmodi Ministris, et Personis efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittant eos, super libertatibus, privilegiis, indultis, et bonis, rebus, ac juribus ad ipsas communitè, vel divisim spectantibus, a quibusvis indebite molestari, vel eis gravamina, damna, sive injurias irrogari, aut privilegia, concessionés, et indulta hujusmodi infringi, vel impugnari, quoquo modo facturis Universitati a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, et a Nobis per præsentés etiam, ut præfertur, approbatæ præfate Doctoribus, Lectoribus, Magistris, Scholaribus, Bidellis, aliisque Universitatis a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectæ, et fundatæ, et a Nobis per præsentés, etiam, ut præfertur, approbatæ, hujusmodi Ministris, et Personis, cum ab eis, vel ipsorum aliquo, aut eorum Procuratoribus, super his requisiti fuerint de prædictis, et aliis Personis quibuslibet, super assignatione, translatione dictorum Collegiorum, a Nobis ad Universitatem a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectam, et fundatam, et a Nobis per præsentés etiam, ut præfertur, approbatam præfatam, illorumque respectivé bonorum, ac rerum, et jurium præfatorum, et aliorum eis nunc concessorum, et pro tempore concedendorum observatione, nec non de quibuslibet molestiis, injuriis, atque damnis, cæterisque tam realibus, quam personalibus actionibus presentibus, et futuris, in illis videlicet, quæ judicalem requirunt indaginem summarie, simpliciter, et de plano, ac sine strepitu, et figura judicii; in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit, Justitiæ complementum, occupatores, seu detentores, præsumptores, molestatores, et injuriatores, nec non contradictores quoslibet, et rebelles cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, quandoquæ, et quotiescumque expediens fuerit, auctoritate Apostolica, per censuras, aliasque pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii Sæcularis; cum hoc tamen, quod in casu controversiarum cum Episcopis, si ad censuras deveniendum sit, sarta tecta esse debeat, et in praxi retineatur dispositio Textus in Capitulo : Quia Pontificali : de Offic. Judic. Deleg. in 6. alias ejusdem Textus forma non observata, censuræ ipsæ nullæ sint eo ipso : Quodque in omni processura, quæ extra Universitatem a præfato Philippo Rege, ut præfertur, erectam, et fundatam,

et a Nobis per præsentes etiam , ut præfertur , approbatam præfatam , fieri contigerit , antequam ad cujuscumque mandati executionem procedatur , id Ordinario Loci notificetur , quodque demum omnia , et singula , quæ a Sacris Canonibus , ac Constitutionibus Apostolicis , et a Concilio Tridentino præfato , quoad hujusmodi Conservatorum facultates , statuta sunt , observentur .

Non obstantibus tam fælic. record. Bonifacii PP. VIII. Prædecessoris Nostri , quibus cavetur , ne aliquis extra Civitatem suam , vel Diœcesim , nisi in certis expressis casibus , et in illis ultra unam dietam a fine suæ Diœcesis ad Judicium evocetur , seu ne Judices , et Conservatores a Sede præfata deputati , extra Civitatem , et Diœcesim , in quibus deputati fuerint , contra quoscumque procedere , sive alii , vel aliis vices suas committere , aut aliquos ultra unam dietam a fine Diœcesis eorundem trahere præsumant , ac de duabus dietis in Concilio Generali , dummodo ultra quatuor dietas aliquis auctoritate præsentium non trahatur , seu quod de aliis , quam de manifestis injuriis , ac de violentiis , et aliis , quæ judicialem requirunt indaginem , pœnis in eas , si secus egerint , et in id procurantes adiectis , Conservatores se nullatenus intromittant , quam aliis quibuscumque Constitutionibus a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris , tam de Judicibus Delegatis , et Conservatoribus , quam Personis ultra certum numerum ad Judicium non vocandis , aut aliis edictis , quæ Jurisdictioni a Nobis , ut præfertur , traditæ , aut Potestati , ejusque libero exercitio , quomodolibet possent in hac parte obstare , aliisque Apostolicis etiam in Provincialibus , et Synodalibus Conciliis editis specialibus , vel generalibus Constitutionibus , et Ordinationibus Apostolicis , nec non Tarraconen. Herden. Vicen. Urgellen. Dertusen. Gerunden. Barchinonen. ac Celsonen. Ecclesiarum præfatarum , et Universitatum , ac Collegiorum , ut præfertur , unitarum , et translatorum hujusmodi , etiam Juramento , Confirmatione Apostolica , vel quavis firmitate alia roboratis respective Statutis , et Consuetudinibus , Privilegiis quoque , Indultis , et Literis Apostolicis respective , eis , et earum , ac eorum cuilibet , ac eisdem Tarraconen. Herden. Vicen. Urgellen. Dertusen. Gerunden. Barchinonen. ac Celsonen. Ecclesiis , illarumque respective Præsulibus nunc , et pro tempore existentibus , nec non earum cujuslibet Capitulis , ac quibusvis aliis Personis , sub quibuscumque tenoribus , et formis , ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis , aliisque efficacioribus , et insolitis clausulis , nec



non irritantibus, aliisque Decretis præfatis etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, vel aliorum Principum instantiam, seu etiam Motu pari, etiam Consistorialiter in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus in Nostris Literis habenda sit mentio specialis, eorum tenores eisdem Nostris præsentibus, perinde ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso pro expressis habentes, illis alias, eorumque singulis in suo robore permansuris specialiter, et expresse Motu, Scientia, et Potestatis plenitudine præfatis Apostolica auctoritate specialiter, et expresse, latissime, ac plenissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter, vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto, et earum Personis, Locis, et Ordinibus, ac propriis nominibus mentionem.

Volumus autem, quod tam in mensibus Sedi præfatae reservatis, quam aliis reservationibus, et affectionibus Apostolicis, pro tempore occurrentibus, ad Canonicatus, et Præbendas a Nobis per præsentibus, ut præfertur, affectos, et affectas hujusmodi, nominati, eorundem Canonicatum, et Præbendarum provisionem a Sede Apostolica præfata impetrare, ac solita Jura Dataria, et Cancellaria Apostolicis debita, ut antea, solvere omnino teneantur; alias præsentibus Nostræ Literæ, quoad affectionem hujusmodi nullæ sint eo ipso.

Quodque earundem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii Publici subscriptis, et Sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus ubique adhibeatur fides, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostrarum confirmationis, approbationis, roboris, adjectionis, defectuum suppletionis, decreti, statuti, abstractionis, voluntatis, unionis, annexionis, incorporationis, translationis, subjectionis, concessionis, indulti, licentiæ, tributionis, constitutionis, deputationis, affectionis, mandati, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis

Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo, pridie nonas decembris Pontificatus Nostri anno primo (1).

Sed neque nostrî temporis desunt monumenta. En Breve Apostolicum quo , preces Episcopatus Belgii summo gaudio explens, Gregorius XVI Lovaniensem Universitatem hodiernam erigendam sancivit.

GREGORIUS PP. XVI. Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Majori certe solatio affici non possumus, quam cum eos, qui in partem solitudinis nostræ sunt vocati, pastoralis zelo flagrare, acriterque ad spirituale commissarum sibi Ovium bonum novimus vigilare. Licet porro præcipuam fraternitatum vestrarum virtutem satis jam multa declarassent, eaque de causa jure Nobis lætari liceret; conceptam tamen animo nostro opinionem confirmarunt, nostrumque gaudium abunde auxerunt obsequentissimæ Litteræ, quas die decima quarta proxime elapsi mensis ad Nos dedistis, et quibus nedum vestrum de Catholica in Belgio constituenda, et a Vobis tantum regenda studiorum Universitate consilium significastis, sed etiam expositis commodis, quæ tum animarum salus, tum Religio ipsa inde possunt accipere, Apostolica nostra Auctoritate probari illud voluistis. Hanc vos rationem sequuti, id egistis, quod ab antiquis temporibus consuetudo induxit, quodque debita huic Sanctæ Sedi reverentia et observantia merito exigil. Cum enim ad Romanos Pontifices pro concedito Ipsi Apostolici Officii munere maxime pertineat Catholicam Fidem tueri, sanctæque ejus doctrinæ depositum integrum ac intemeratum custodire; Eorum quoque esse debet sacrarum disciplinarum quæ publice in Universitatibus traduntur, institutionem moderari. Atque hæc causa fuit, cur Catholici etiam Principes cum de ejusmodi Academiis seu Universitatibus studiorum statuendis cogitarunt, Apostolicam Sedem consulendam, ejusque auctoritatem exquirendam duxerint. Hinc celebriores, illustrioresque Europæ Universitates nonnisi ex sententia et assensu Romanorum Pontificum fuisse constitutas gravissimæ illarum historiæ amplissime testantur. Nobis itaque, quibus persuasum est ex recte comparatis studiorum Universitatibus plurimum emolumentum in

(1) *Estatutos y privilegios apostolicos, y reales de la Universidad y estudio general de Cervera*, Cervera, 1750.

Christianam Rempublicam dimanare, jucundius nihil accidere potest, quam ut vobis gratificemur, et ad Litterarum præsertim Sacrarum præsidium et incrementum supremæ Nostræ Auctoritatis robur adieciamus; atque hinc sapientissimum, quod una simul inivistis consilium adprobamus, vestramque ea de re sollicitudinem summa laude ac commendatione prosequimur. Eo autem libentius vestris votis annuimus, quo certius vestra industria, opera et cura futurum confidimus ut quotquot ad istam Universitatem convenient bene morati juvenes, non scientia quæ inflat, sed scientia quæ cum charitate ædificat, non sapientia hujus sæculi, sed sapientia cujus initium timor Domini est, imbuantur. At illud probe intelligitis, Venerabiles Fratres, memoratam mox Universitatem ita quidem constitui oportere, ut nihil prorsus derogetur juribus, quæ singulis Episcopis circa Clericorum in suis diocesanis seminariis institutionem, eorumque in litteris et disciplinis maxime Theologicis eruditionem Tridentini Patres adjudicarunt. Agite igitur, et Ille, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum est, dexter Vobis propitiusque adsit, ut quæ salubriter cogitastis, feliciter possitis implere. Interim Apostolicam Benedictionem, Paternæ Nostræ charitatis et benevolentiae testimonium erga Fraternitates Vestras, peramanter Vobis impertimur. — Datum Romæ apud S. Petrum die 15 decembris MDCCCXXXIII, Pontificatus Nostri anno III. — *Signatum* : GREGORIUS PP. XVI. — *Inscriptio erat* : Venerabilibus Fratribus ENGELBERTO Archiepiscopo Mechliniensi, ejusque Suffraganeis in Belgio Episcopis, Mechliniam.

Eadem mente ejusdemque auctoritatis robore SS. D. N. Pius PP. IX faustissimo Episcoporum Hiberniæ de erigenda Catholica Dubliniensi Universitate consilio annuit, sequentibus constitutione atque decreto :

Pius PP. IX.

Ad futuram rei memoriam.

Quod maxime opportunum erat, ac salutare, quodque ad Religionis Catholicæ res in Hibernia recreandas, firmandasque nos vehementer optabamus habitum et absolutum fuit, benedicente Domino, apud Thurles anno 1850 Archiepiscoporum, et Episcoporum totius Hiberniæ Concilium, cujus acta, et statuta perpendenda, et confirmanda ad hanc

Apostolicam Sedem missa, Nos, traditis nonnullis emendationibus jam inde a die 25 mensis maji superioris anni 1831 per Decretum Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. E. R. Cardinalium Propagandæ Fidei præpositorum rata habuimus, et confirmavimus. Porro quum eadem acta et statuta, juxta præscriptas emendationes edita fuerint, adjectis quoque Apostolicis nostris Litteris in simili forma Brevis, necnon Decretis ac Litteris memoratæ congregationis ad ipsam Synodi celebrationem, vel ad res in ea pertractatas pertinentibus, Nos de eorundem Venerabilium Fratrum Nostrorum Consilio, ut solemnitus Pontificiæ nostræ probationis existat monumentum, Apostolicas hæc super re litteras edere constituimus. Itaque acta omnia, ac statuta memoratæ Synodi apud Thurles habitæ juxta traditas emendationes evulgata, atque alias per decretum dictæ congregationis a Nobis ratum habitum probata, motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione, Auctoritate Nostra Apostolica hisce Litteris iterum probamus ac confirmamus, eademque statuta, ut superius dictum est, edita, ab omnibus et singulis ad quos spectant, seu spectabunt, inviolabiliter observari dicta Auctoritate Nostra præcipimus, atque mandamus. Jam vero inter ea, quæ in memorata Synodo ab Hiberniæ antistitibus ad Catholicæ Religionis bonum, atque augmentum sælubriter decreta sunt, illud imprimis laudabile, quod Universitatem Catholicam in Hibernia collatis consiliis quamprimum statuerint erigendam, in qua nimirum adolescentes absque fidei amittendæ periculo, bonis artibus, ac disciplinis informantur. Præclaris hisce Episcoporum studiis Catholica Hibernensis natio ea pietate, ac liberalitate respondit, ut non mediocria coacta sint ad id præstandum subsidia. Cumque plurium Episcoporum nomine exhibitæ nobis preces fuerint, ut Catholicæ hujusce Universitatis erectionem Apostolica Nostra Auctoritate peculiariter probare velimus, de consilio eorundem Venerabilium Fratrum Nostrorum porrectis hujusmodi precibus libenter censuimus adnuendum. Igitur memoratæ Universitatis erectionem, quam Hibernenses Antistites promovent, Apostolica Nostra Auctoritate tenore præsentium Litterarum approbamus, ac confirmamus. Supplicamus vero Patri misericordiarum, a quo bona cuncta procedunt, ut memoratæ Synodi Decreta, cœlesti ipsius adspirante gratia, ab omnibus ad quos pertinent, executioni mandata optatum exitum consequantur, utque opus Catholicæ Universitatis feliciter absolvatur; quo Catholica illius Nationis soboles sinceris enutrita doctri-

nis, in veræ Religionis incrementum, Deique gloriam succrescat.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 25 martii 1832,  
Pontificatus Nostri anno sexto.

Pro Domino Cardinali Lambruschini,  
A. Picchioni, Substitutus.

DECRETUM SACRÆ CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

Statuta ab Archiepiscopis, et Episcopis Hiberniæ condita pro Catholica Universitate, atque Apostolicæ Sedis iudicio submissa in generali S. Congregationis Conventu habito die 31 julii 1834 referente Emo ac Rmo Cardinali Constantino Patritio Episcopo Albanensi, perpensa fuerunt, nonnullisque modificationibus adhibitis juxta instructionem tradendam, placuit, ut eadem pro memoratæ Universitatis regimine executioni traderentur; supplicandum vero SSmo D. N. quoad expetitam facultatem pro ejusdem Universitatis Rectore ad gradus Academicos conferendos, servatis servandis.

Hanc vero Sacræ Congregationis sententiam SSmo Dno Nostro Pio Divina Providentia Papæ IX relatam ab infrascripto Secretario in Audientia diei 6 augusti 1834, Sanctitas Sua ratam habuit, atque expetitum indultum benigne concessit; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex ædibus S. Congregationis de Propaganda Fide die 3 octobris 1834.

J. Ph. Card. Fransoni, Præf.  
Alexander Barnabò, a Secretis.

Duo tandem quæ sequuntur documenta pro erigenda in Germaniæ partibus Universitate catholica tam filiorum studium et devotionem, quam Patris summi sollicitudinem auctoritatemque rursus demonstrant :

Beatissime Pater !

Comitatus a generali associationum catholicarum in Germania congregatione in civitate Aquensi Diœcesis Coloniensis habita electus ad fundandam liberam Universitatem catholicam, venerabundus ad solium apostolicum appropinquat humillimeque precatur, ut Sanctitas Tua

programma acclusum hunc in finem elaboratum elementissime accipere dignetur.

Jam nunc inceptum nostrum tam prosperum successum habuisse lætamur, ut magna episcopatus germanici pars hoc opus a nobis institutum approbaverit, eique opem suam cooperantem promiserit. Neque minus commemorandum est, jam haud exiguam pecuniæ summam et a clericis et a laicis hujus boni operis fautoribus esse collatam.

Sed quid hæc omnia proficerent, nisi, quemadmodum prisci ævi Universitates catholicæ ortum suum a Sancta Sede duxerunt, ita nos quoque fundamenta ædificii a nobis condendi in Petri petra locare atque firmissimo vinculo cum unitatis centro summaque auctoritate, quam Deus vicario in terris suo mandavit, conjungi studeremus?

Quo sensu animati et ad genua Tua provoluti, tanquam fideles sanctæ nostræ ecclesiæ romanæ filii humillime precamur, ut Sanctitas Tua hoc nostrum inceptum sancire, Tuoque opitulante favore adjuvare dignetur.

Quod quo facilius fieri possit atque ut quasi præsentia Tua nos confirmari et recreari sentiamus, rogamus Te, ut e gremio Præsulum in Germania aliquem tanquam Tuum in hac causa vicarium designare gratiosissime velis, qui quidem auctoritate apostolica sibi demandata munitus, consilio suo nos sustentet atque gressus nostros dirigat.

Insuper Te imploramus ut pro Principibus catholicis et pro omni cujusvis ordinis fidelium grege in Germania, qui hoc pium opus nostrum patrocinio immaculatæ virginis Mariæ commendatum oratione et eleemosynis adjuvant, thesaurum indulgentiarum, quem Jesus Christus dispensationi Tuæ commisit, clementissime aperire digneris.

Prostrati ad solii pontificii gradus atque apostolicam benedictionem pro hoc opere a nobis inchoato implorantes, venerabundi pedes Tuos osculamur

Sanctitatis Tuæ

Stuttardiæ die 9 januarii 1865.

humillimi et devotissimi filii

*Clemens Comes de Brandis*, Præsæs.

*Georgius Phillips*, Vicepræsæs.

*Henricus L. Baro dictus ab Andlaw*.

*Franciscus Josephus Buss*.

*Wildericus Liber Baro de Ketteler*.

*Felix Liber Baro de Loe*.

*Josephus Lingens*, pecuniis administrandis præfectus.

Pius PP. IX.

Dilecte Fili, Nostram Salutem et Apostolicam Benedictionem. Dilecti filii Clemens Comes de Brandis, Georgius Phillips, Henricus L. Baro de Andlaw, Franciscus Josephus Buss, Wildericus L. Baro de Ketteler, Felix L. Baro de Loe, et Josephus Lingens observantissimas Nobis scripserunt Literas proximo mense januario datas, ac singularis erga Nos, et hanc Petri Cathedram amoris et obsequii plenas. Eisdem autem Literis significarunt, in comitiis catholicarum in Germania Societatum in Aquensi civitate istius Tuæ Coloniensis Diocesis superiore anno habitis initum fuisse consilium erigendi in Germania catholicam Universitatem, et idcirco Comitatum, uti appellant, electum fuisse ex eisdem dilectis filiis conflatum. Equidem non possumus non vehementer probare, ac meritis laudibus efferre hujusmodi tam pium, tam salutare, tamque utile propositum. Nihil enim gratius, nihil optatius Nobis esse potest, quam ut hisce præsertim calamitosissimis christianæ, civilisque reipublicæ temporibus studiorum ratio ad veræ germanæque catholicæ doctrinæ normam dirigatur, ac juvenus humanioribus litteris, severioribusque disciplinis ab omni prorsus cujusque erroris periculo alienis accuratissime imbuatur. Iidem autem dilecti filii dissertissimis verbis professi sunt, suis in votis esse, ut hæc instituenda Universitas a Nobis et ab hac sancta Sede omnino pendeat, quo artissimo fidei, et obedientiæ vinculo cum Nobis, et eadem Sede sit conjuncta. Quamobrem enixis precibus Nos obsecrarunt, ut aliquem virum ecclesiastica dignitate ornatum designare velimus, qui vicariam Nostram operam agens, gravissimo hujus erigendæ catholicæ Universitatis negotio præsit, et illam, postquam Suprema nostra accedente auctoritate rite fuerit constituta, regat ac moderetur. Nos itaque hisce desiderii, quæ gratissima Nobis extiterunt, perlibenter obsecundantes, et quam plurimum spectata Tua religione et virtute confisi per has literas Tibi munus committimus, Dilecte Fili Noster, ut adhibens etiam auxiliariam operam et consilium Venerabilium Fratrum Gulielmi Episcopi Moguntini, et Conradi Episcopi Paderbornensis pro summa Tua prudentia ea omnia disponere et agere cures, quæ ad hanc Universitatem catholicam erigendam et rite constituendam conducere possunt. Tuum autem erit, commemoratis Dilectis Filiis significare, quæ Tibi hac super re scribenda in præsentia existimavimus. Nihil vero

dubitamus, quin Nos diligentissime certiores facias de rebus omnibus, quæ ad hanc Universitatem quovis modo pertinent, ut statuere possimus quidquid majori ejusdem Universitatis prosperitati, ac decori prodesse in Domino censuerimus. Denique hanc etiam occasionem libentissime amplectimur, ut iterum testari et confirmare possimus præcipuam Nostram in Te benevolentiam. Cujus quoque certissimum pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam effuso Nostri cordis affectu Tibi ipsi, Dilecte Fili Noster, et gregi Tuæ vigilantie commisso peramanter impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die 31 augusti anno 1865, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

(Sign.) Pius PP. IX.

Dilecto Filio Nostro  
Ioanni Tituli S. Laurentii  
in Viminali  
Presbytero S. R. E. Cardinali de Geissel,  
Archiepiscopo Coloniensi  
Coloniam.



## APPENDIX II.

Quum ex Ill. de Ram hanc Universitatum a Sede Apostolica erectarum designationem communicemus, liceat auctoris verba (1) circa hujusmodi institutorum per Romanum Pontificem erectionem vel approbationem referre.

« Comme l'instruction publique, dit le docteur Van de Velde dans ses *Observations critiques et historiques*, p. 5, intéresse la foi et les mœurs, et qu'elle influe d'une manière directe sur le bonheur et la tranquillité tant de l'Église que de l'État, on a cru de tout temps dans les pays catholiques que, dans l'institution des universités, l'intervention de l'autorité ecclésiastique était absolument nécessaire. Cette intervention se remarque dans l'établissement de toutes les anciennes universités, depuis le XIII<sup>me</sup> siècle jusqu'à la fondation de l'université de Fulde, en 1752, confirmée par Clément XIII. Les dix-neuf universités que le XV<sup>me</sup> siècle a vues naître avec celle de Louvain ont été toutes fondées ou confirmées par le Saint-Siège, à la demande des princes qui désiraient les voir érigées dans leurs États. L'université de Leipzig entre autres, pour en rappeler le souvenir, avait choisi pour son grand sceau l'image des apôtres saint Pierre et saint Paul....

Grégoire XVI résume un grand fait historique, lorsque, dans le bref d'érection de l'Université Catholique, il dit : *Celebriores illustrioresque Europe universitates non nisi ex sententia et assensu Romanorum Pontificum fuisse constitutas gravissima illarum historiae amplissime testantur*. Les écrivains protestants les plus érudits signalent aussi ce fait et ils y reconnaissent un des services les plus éminents rendus par la papauté à la civilisation. »

(1) *Considérations sur l'histoire de l'Université de Louvain*, note 4.

Mox ad alium suum quoque locum III. auctor pro serie prædictarum Universitatum remittit (1). Has autem indicat :

« IN ANGLIA et HIBERNIA, *Cantabrigensis* et *Oxonienſis*, ſcholæ anti-quiffimæ, a Rom. Pontificibus deinceps variis privilegiis ditatæ; *Dublinenſis* an. 1520 a Joanne XXII Academiae jura acquisivit.

In BELGIO, *Lovaniensis* an. 1425 a Martino V conſtituta; *Duacena*, petente Philippo II Hispaniarum rege, an. 1559 a Pio IV inſtituta ad normam Lovaniensis.

In DANIA, *Hasniensis* ab Erico VIII rege jam an. 1418 conſentiente Martino V meditata, tandem a Chriſtiano I rege an. 1478 inſtituta, et a Sixto IV privilegiis ad modum Bononiensis ornata.

In GALLIA, *Aurelianensis* an. 1507 a Clemente V firmata; *Burdi-galensis* an. 1440 ab Eugenio IV conſtituta, *Cadurcensis* an. 1552 a Joanne XXII fundata; *Dolana* an. 1425 a Martino V confirmata; *Picta-vienſis* an. 1451 a Carolo VII rege fundata et a Martino V confirmata; *Pontemuffana* an. 1572 ad preces Caroli Cardinalis Lotharingici a Gregorio XIII fundata; *Rhemensis* ex inſtitutione Eugenii III an. 1148, durante ibidem concilio, primordia cœpit; *Tholosana* a Legato Ponti-ficio an. 1228 fundata, an. 1255 a Gregorio IX confirmata, postmodum ulterioribus privilegiis a Joanne XII et Innocentio VI ampliata; *Vesun-tina* an. 1450 a Nicolao V inſtructa.

In GERMANIA, *Bambergensis* an. 1648 a Melchiore Ottone Episcopo erecta et ab Innocentio X munita; *Basiliensis* an. 1459 a Pio II fundata; *Coloniensis* an. 1585 fundata ab Urbano VI ampliffimis privilegiis do-nata; *Dilingensis* an. 1552 a Julio III confirmata; *Erfordienſis* tempore schismatis an. 1588 primum a Clemente VII Avenionensi, deinde ab Urbano VI Romano an. 1589 juribus academicis inſtructa; *Francofurtensis ad Viadrum* ab Alexandro VI concessa, an. 1506 a Julio II aucta, et an. 1515 a Leone X plenius confirmata; *Fuldensis* an. 1752 a Cle-mente XIII conſtituta; *Friburgensis* in Brisgovia et *Gryphiswaldensis* in Pomerania an. 1456 a Callixto III, et *Græcensis* in Stiria an. 1585 a Sixto V confirmatæ; *Haltensis* Alberto Cardinali Archiepiscopo Magde-burgensi an. 1551 concessa a Clemente VII; *Heidelbergensis* primum a Benedicto XII circa an. 1541, tum ab Urbano VI an. 1586, Bonifacio IX

(1) Ad notam nimirum 2<sup>a</sup> orationis in ſolemni inauguratione Universitatis catholice a se habitæ.

an. 1395, Paulo III et Julio III intra annos 1344 et 1353 confirmata et stabilita; *Ingolstadiensis* an. 1439 a Pio II concessa; *Lipsiensis* an. 1409 ab Alexandro V, *Moguntina* an. 1477 a Sixto IV, *Olomucensis* in Moravia an. 1572 a Gregorio XIII, *Paderbornensis* an. 1616 a Paulo V, *Pragensis* an. 1548 a Clemente VI, *Rostochiensis* an. 1419 a Martino V, *Salisburgensis* an. 1625 ab Urbano VIII, *Tubingensis* an. 1477 a Sixto IV, *Vienensis* in Austria an. 1565 ab Urbano V, *Vitebergensis* in Saxonia an. 1502 ab Alexandro VI, deinde an. 1506 a Julio II, *Vratislaviensis* in Silesia an. 1625 ab Innocentio XI, *Trevirensis* an. 1454 a Nicolao V et an. 1474 a Sixto IV confirmatæ.

In HISPANIA, in ITALIA et LUSITANIA omnes, quæ in istis regionibus inveniuntur, Academiæ a Romanis Pontificibus vel fundatæ vel comprobatæ sunt.

In POLONIA, *Braunsbergensis* a Gregorio XIII circa an. 1572 confirmata; *Cracoviensis* a Casimiro M. Rege an. 1544 inchoata, ab Urbano V an. 1564 privilegiis munita, anno autem 1400 ab Vladislao Jagellone rege cum consensu Bonifacii IX perfecta; *Witnensis* an. 1576 Stephani Bathori regis opera instituta, a Gregorio XIII an. 1579 confirmata.

In SUECIA, *Upsaliensis*, schola antiqua ad preces Jacobi Ulphonis Archiepiscopi ejus loci a Sixto IV an. 1477 in Academiam erecta et privilegiis Universitatis Bononiensis ornata. — Cf. H. CONRINGIUS, *de Antiquitatibus Academicis dissert. VII*, Gottingæ 1759, in-4<sup>o</sup>; JOH. GEORGIUS HAGELGANS, *Orbis literatus academicus germanico-europæus*, Francofurti ad Mænum 1757, in-fol., et CHRISTOPH. MEINERS, *Geschichte der Entstehung und Entwicklung der hohen Schulen unsers Erdtheils*, Gotting. 1802-5, 4 vol. in-8<sup>o</sup>. Scriptores illi, licet acatholici, non tamen Romanorum Pontificum merita in rempublicam literariam inficiantur. »

FINIS.

*[Faint, illegible text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

## THESES



### I.

Ecclesiam suam Christus Dominus ut veram societatem externam instituit.

### II.

In hac autem forma societatis externæ constituenda non exemplum tantum et consilium præbuit, sed imperantis seu legislatoris officio functus est, adeoque Ecclesia Christi non pactitia sed legalis, ut vocant, societas est.

III.

Non omnia Ecclesiae suae membra aequalia esse voluit divinus ejus fundator, sed ipse eam inter fideles rationem instituit qua alii Superiorum munere fungerentur, alii obtemperandi officio tenerentur. Ex quo sequitur auctore Christo Domino Ecclesiam esse societatem quam inaequalem dicere solent.

IV.

« Christus autem his e terris discedens Apostolos operis sui vicarios Ecclesiae contulit praesens pastores, qui salutari nunciata doctrina eos, qui credidissent, baptismo tinctos, redemptionis gratiae efficerent participes arctaque inter se nexos pro potestate regerent. Visibilis haec hominum eandem doctrinam profitentium, eorundem sacramentorum communione junctorum et Apostolorum eorumque successorum imperio submissorum societas est illa Ecclesia, quam se instituturum esse diserte praedixerat (1). »

V.

« Christus ut Ecclesiae, corpori suo mystico et visibili, visibile etiam, postquam hinc discessisset, caput constitueret, Simonem Petrum Apostolorum creavit principem.... Romanos vero Pontifices Petri, Romae pro fide interfecti, esse successores, id quidem inde ab initio constabat omnibus.... Quum enim Episcopo succedat is, qui defuncti sedem eo, qui statutus est, modo occupat, Petro tanquam Romanae Ecclesiae Episcopo defuncto successerunt illi, qui in ejus locum Romae deinceps successerunt (2). »

(1) Conc. Prov. Coloniense, anni 1860, P. I, tit. 6, c. 21.

(2) Ibid., c. 22.

VI.

S. Petrus Ecclesiam Romanam fundavit, ejusque episcopatum gessit usque ad mortem.

VII.

“ Habet... Ecclesia ipsa ex divina institutione potestatem, non magisterii solum, verum etiam regiminis, ut quos semel gremio suo excepit filios, in doctrina tradita contineat et confirmet, legesque ferat de iis omnibus quæ ad animarum salutem, sacri ministerii exercitium, ac Dei cultum attinent: quibus legibus quisquis obsistat, gravissimi se reum criminis faciat (1). ”

VIII.

“ Hanc vero potestatem ignorant aut nimium saltem extenuant, qui eam solum ad consilia, suasiones et hortationes, non ad pœnas salutares infligendas pertinere dictitantes incidunt in systema alias damnatum ut hæreticum (2). ”

IX.

“ Ecclesia, tanquam societas perfecta sui que juris, cum societate civili confundi minime potest. Alia enim est Ecclesiæ, quæ immediate a Christo instituta est, alia civitatis origo; alius Ecclesiæ, hominum æternam salutem procurantis, alius civitatis est finis; aliis Ecclesia, cui supernaturalia a Christo commissa sunt subsidia, aliis civitas utitur administriculis; alia est Ecclesiæ, cui certa et immutabilis a Christo indita est forma, alia civitatis mutabilis est constitutio (3). ”

(1) Greg. XVI in Encycl. 17 maii 1853 ad episc. et clerum Helvetiæ.

(2) Conc. Prov. Colon. a. 1860, P. I, tit. 6, c. 23.

(3) Ibid.

X.

« Quamvis autem Ecclesiæ et imperii potestas sit distincta, amicum tamen consortium optat Ecclesia neque res faustas et religioni et principatui ominatur ex eorum votis, qui Ecclesiam a regno separari mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discipiunt (1). »

XI.

« Est... in Ecclesia hierarchia divinitus instituta, ad quam præter ceteros ecclesiasticos gradus Episcopi potissimum pertinent (2). »

XII.

« Et Romano quidem Pontifici, ut Ecclesiæ capiti et fundamento visibili, Episcoporum principi pastorique supremo, vera jurisdictio episcopalis competit in universam Ecclesiam (3). »

XIII.

Controversia orta inter S. Victorem Papam et episcopos Asiæ minoris de die celebrandi Pascha perperam opponitur doctrinæ de Romani Pontificis primatu ejusque infallibilitate.

XIV.

Concilium Nicenum I convocatum fuit auctoritate S. Sylvestri Romani Pontificis, idemque Pontifex isti Concilio præsedit per suos legatos.

(1) Ibid., coll. Greg. XVI Encycl. *Mirari vos* 15 aug. 1852.

(2) Ibid.

(3) Ibid.



XV.

Injuria Honorius I hæreseos Monothelitarum insimulatur.

XVI.

Ex actis Concilii generalis VI perperam nonnulli concludere conati sunt, Concilium generale posse retractare et reformare dogmatica Romani Pontificis decreta.

XVII.

Romanus Pontifex potest ferre leges universales etiam tunc, quando sine magna difficultate Concilium generale convocari potest.

XVIII.

“ Penes ipsum est dispensare in legibus seu canonibus universalibus Ecclesiæ, a judicio ecclesiastico inferiore ad ejus judicium provocare fas, ab ejus autem judicio, quum supremum sit, ad aliud provocare semper nefas est (1). ”

XIX.

Concilium Sardicense jus appellationum ad Romanum Pontificem non instituit, sed agnovit confirmavitque.

XX.

“ Qui vero asserunt, summum Pontificem non a Christo in persona Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accepisse, hæreticis adnumerandi sunt (2). ”

(1) Conc. Prov. Colon. a. 1860, P. I, tit. 6, c. 25.

(2) Conc. Prov. Colon. a. 1860, l. e.

XXI.

« Agnoscimus etiam, divina providentia effectum esse, ut Romano Pontifici dominium temporale obvenerit, quo certius Sedis apostolicæ et Ecclesiæ totius libertas custodiretur et expeditior esset rerum ecclesiasticarum pro omnibus omnium nationum fidelibus administratio. Agnoscimus pariter et attestamur, impiam et sacrilegam esse, quæ nuper tentata est, domini pontificii spoliationem totique orbi catholico nefaria illa audacia illatam esse injuriam (1). »

XXII.

Neque Carolus Magnus neque Ludovicus Pius neque Lotharius majestatica aut independentia jura vel dominium summum in ducatu Romano aut exarchatu Ravennatensi habuerunt.

XXIII.

Sine ullo omnino jure nonnulli scriptores Bonifacium VIII propter ejus bullam *Unam Sanctam* dominandi libidinis accusant.

XXIV.

Patres Concilii Ariminensis minime a catholica fide defecerunt.

XXV.

« Etsi Romano Pontifici episcopalis potestas competit in universam Ecclesiam, reliqui tamen Episcopi potestatis regendi Ecclesiam, quem in finem episcopatus institutus est,

(1) Conc. Prov. Colon. a. 1860, P. I, tit. 6, c. 22.

sunt consortes , et Romani Pontificis auctoritate assumpti ,  
illam , quam in ordinatione potestatem acceperunt , legitime  
exercent (1). »

XXVI.

« Dignitatem metropolitanam antiquissimam esse et ad  
Apostolos aut apostolica usque tempora origine ascendere ,  
e probatissimis liquet testimoniis (2). »

XXVII.

Episcopi negligentis potestas ad Archiepiscopum non  
devolvitur nisi in casibus a jure expressis.

XXVIII.

« In synodo dioeciesana solus Episcopus est iudex et legis-  
lator ; ipse suo nomine decreta facit et promulgat ; constitu-  
tiones facere potest sine consensu et approbatione capituli  
et cleri. Capituli quidem consilium exquirere , non tamen  
sequi tenetur , nisi quatenus in jure exprimitur ; et tunc ,  
ubi de voto agitur , canonici unum tantum , id quidem capi-  
tuli , votum efficiunt (3). »

XXIX.

« Primorum sæculorum presbyteriis canonicorum sub  
regula certa vitam communem agentium collegia , collegiis  
successerunt capitula , e mente Ecclesiæ senatus ut digni-  
tate venerandus , ita virtute , scientia et meritis conspicuus ,  
a quo cultui divino decor ac splendor , Episcopo in rebus

(1) Conc. Prov. Colon. a. 1860, P. I, tit. 6, c. 25.

(2) Ibid., P. II, tit. 1, c. 5.

(3) Conc. Prov. Colon. a. 1860, l. c., c. 9.

gravioribus consilii ubertas et fidelis alacrisque in negotiis Ecclesiæ gerendis, si postulaverit, opera ac toti diœcesi Sede vacante administratio canonica repetatur (1). »

XXX.

« Nobilem imprimis et fructuosam in diœceseos procurâ-tione opem ferunt parochi, qui ab Episcopo constituti jure proprio populi sibi commissi curam habent (2). »

XXXI.

« Parochorum est, diebus dominicis et festis, etiam festis abrogatis, missæ sacrificium pro populo ipsis concedito offerre (3). »

XXXII.

Diaconi ab Apostolis instituti, non tantum pauperum curæ sed tanquam veri Ecclesiæ ministri divino cultui sacrisque functionibus addicti fuerunt.

XXXIII.

Ex modo autem quo Diaconi in Ecclesia Hierosolymitana constituti fuerunt, perperam quis concluderet jus eligendi sacros ministros esse penes populum christianum.

XXXIV.

« Non potest non esse sanctum Ecclesiæque proficuum illud vitæ genus, quod a Christo, consiliis quibusdam propositis, est commendatum; quod inde a primis sæculis

(1) Ibid., c. 5.

(2) Ibid., c. 6.

(3) Ibid.

floruit, plurimos cœlo peperit Sanctos, Ecclesiæ pastores, animarum saluti strenuos operarios; quod denique, quo majora vita christiana in Ecclesia universa, eo majora et ipsum cepit incrementa (1). »

XXXV.

« Major est religionum diversitas quæ attenditur secundum diversos fines, ad quos religiones ordinantur, quam quæ attenditur secundum diversa exercitia (2). »

XXXVI.

« Convenientissimum est ad prædicandum, et ad alia hujusmodi quæ pertinent ad salutem animarum, aliquam religionem institui (3). »

XXXVII.

« Ad hoc, quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet, quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent, .... unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem (4). »

XXXVIII.

« Minus est votum commutare, quam in voto dispensare. Utrumque tamen in potestate Ecclesiæ consistit (5). »

XXXIX.

« Ecclesia, quæ a Christo Domino jussa est evangelium

(1) Conc. Prov. Colon. a. 1860, P. II, tit. 1, c. 8.

(2) S. Thom., 2. 2, q. 188, art. 1 corp.

(3) S. Thom., 2. 2, q. 188, art. 4 corp.

(4) S. Thom., 1. 2, q. 90, art. 4 corp.

(5) S. Thom., 2. 2, q. 88, art. 10 corp.

prædicare omni creaturæ, divina præcepta et morum disciplinam tradere, omnes denique in viam salutis dirigere, non potest non maxime sibi cordi habere teneræ juventutis tam in fidei, quam in litterarum rudimentis institutionem christianamque educationem (1). »

XL.

« Ecclesia est, quæ fidei propagata veritate superstitionis et ignorantiae tenebras discussit. Quemadmodum vero Ecclesia cum bonis supernaturalibus hujus etiam vitæ terrenæ multa bona confert, ita, dum cœlestes veritates aperuit, veritates ordinis naturalis scientiasque humanas nullo non tempore coluit, promovit, auxit. Ecclesia etiam est, quæ litterarum universitates condidit, decretis sancivit, beneficiis et privilegiis cumulavit (2). »

XLI.

Graduum academicorum collationem optimo jure Sedes Apostolica sibi propriam vindicavit.

XLII.

« Ecclesia constituere potest impedimenta dirimentia. Sicut enim suprema potestas civilis in contractus civiles, ita Ecclesia in contractum illum, qui ad sacramenti dignitatem elevatus est, agere potest, conditiones nonnullas statuendo, a quibus contractus valor pendeat (3). »

XLIII.

« Non a principibus hanc potestatem accepit Ecclesia.... Imo sola Ecclesia hoc jure pollet (4). »

(1) Conc. Prov. Colon. a. 1860, P. II, tit. 2, c. 25.

(2) Ibid., c. 26.

(3) Ibid., P. I, tit. 8, c. 37.

(4) Ibid.

XLIV.

“ Neque asserti potest , matrimonia secundum Ecclesiæ leges irrita , si secundum imperii civilis leges ineantur , non quidem sacramenti dignitate insigniri , veros tamen et legitimos esse contractus (1). ”

XLV.

“ Facile etiam intelligitur , cur ad iudices ecclesiasticos spectent causæ matrimoniales , illæ scilicet , quæ matrimonii naturam , non vero quæ effectus attinent mere civiles. Quæ enim religionis sunt , Ecclesiæ eique soli commissa esse novimus (2). ”

XLVI.

“ Ut arbor , quo uberiore succo turgescit , eo plures similes sibi profert frondes , ita etiam Ecclesia , quæ Dei spiritu vivit et nutritur , novas continuo consociationes ut totidem quasi frondes parit et emittit. Cujus rei testes locupletissimi sunt non solum religiosi ordines , sed aliæ etiam sodalitates , quæ nullo non tempore ortæ sunt in Ecclesia (3). ”

XLVII.

“ In foro conscientiæ causa agitur inter hominem et Deum : in foro autem exterioris iudicii causa agitur hominis ad hominem : et ideo absolutio vel ligatio quæ unum hominem obligat quo ad Deum tantum , pertinet ad forum poenitentiae : sed illa quæ hominem obligat in comparatione

(<sup>1</sup>) Ibid.

(<sup>2</sup>) Ibid.

(<sup>3</sup>) Ibid., P. II, tit. 2, c. 29.

ad alios homines , ad forum publicum exterioris iudicii pertinet. Et quia homo per excommunicationem a communione fidelium separatur , ideo excommunicatio ad forum exterius pertinet : et ideo illi soli possunt excommunicare , qui habent jurisdictionem in foro judiciali (1). »

XLVIII.

« Singuli de communitate excommunicari possunt , non autem ipsa communitas (2). »

XLIX.

« Ille qui excommunicatus est una excommunicatione , potest iterum excommunicari , vel per ejusdem excommunicationis iterationem.... vel propter alias causas : et tunc tot sunt principales excommunicationes , quot causæ , pro quibus aliquis excommunicatur (3). »

L.

« Excommunicationes non habent connexionem in aliquo : et ideo possibile est quod aliquis ab una absolvatur , et in altera remaneat (4). »

LI.

L'Église , en établissant parmi les hommes le règne du devoir et du droit par la charité , tient les nations qui lui obéissent également éloignées des abaissements du despotisme et des désordres de la démagogie.

(1) S. Thom. Suppl., q. 22, art. 1 corp.

(2) Ibid., art. 3 corp.

(3) Ibid., art. 6 corp.

(4) Ibid., q. 24, art. 3 corp.



LII.

Les hommes ont pour fin suprême de servir Dieu et de parvenir à le posséder. D'où il suit que l'Église établie de Dieu pour leur donner les lumières et la force sans lesquelles ils ne sauraient atteindre cette fin, ne doit être soumise dans sa liberté à aucune restriction de la part d'aucun pouvoir humain.

LIII.

En considérant comment le pouvoir social se constitue, s'affermi et se perpétue, on constate le concours de deux forces, lesquelles se rencontrent partout dans le gouvernement providentiel des choses humaines : l'autorité divine et la liberté, la tradition et le progrès.

LIV.

Le principe que tout pouvoir vient de Dieu se concilie aisément, dans l'enseignement catholique, avec le principe sainement entendu de la souveraineté nationale.

LV.

La société est d'institution divine et nulle société n'est possible sans le pouvoir qui est partie essentielle de l'organisme social. Il résulte de cette unité de la société et du pouvoir, ainsi que de la solidarité de toutes les générations dans la vie et le perfectionnement de la société, que le pouvoir une fois établi est en possession d'un droit, auquel la société ne peut pas arbitrairement porter atteinte.

LVI.

Lorsque S. Grégoire-le-Grand adressait à l'empereur Phocas cette grande parole : *Reges gentium domini servorum sunt; imperatores vero reipublicæ domini liberorum*, il énonçait un des principes fondamentaux du droit public catholique.

LVII.

Avant la Réforme, le Césarisme et la portée abusive donnée au principe que les souverains règnent par la grâce de Dieu, étaient aussi étrangers à la société chrétienne que le principe révolutionnaire du droit à l'insurrection.

LVIII.

Nous répropons le principe de la centralisation, consistant à prétendre que tous les intérêts et toutes les relations puissent et doivent être remis à la réglementation de la loi, en sorte qu'il suffise que le législateur établisse sur ce principe d'une complète égalité la condition de tous, pour que nul ne soit fondé à se plaindre de cette substitution générale de l'initiative de l'État à l'initiative de la société. Ce principe est toujours destructif de la liberté, aussi bien dans les pays de gouvernement populaire que dans les pays de gouvernement absolu.

LIX.

Les sociétés qui sont en possession de l'unité de la foi se défendent à juste titre des agressions dirigées contre leur foi. Dans les sociétés où cette unité a cessé d'exister, la tolérance des doctrines fausses, sans pouvoir jamais con-

stituer pour l'erreur un droit absolu, est néanmoins un droit relatif que l'on peut invoquer en s'appuyant sur la nécessité de maintenir la paix et le bon ordre dans la société.

LX.

Les deux préceptes de l'amour de Dieu et de l'amour du prochain, expression de la loi suprême du sacrifice, résument toute la loi sociale. Ainsi, le pauvre qui, tout en usant des forces que Dieu lui a données pour améliorer sa condition, accepte en toute résignation et humilité sa pauvreté, avec ses abjections extérieures, et le riche, qui se considère comme débiteur envers Dieu pour ses frères et comme l'administrateur du bien des pauvres, s'acquièrent les récompenses éternelles par l'accomplissement de la loi, en même temps qu'ils concourent à réaliser dans la société humaine l'ordre le plus parfait auquel elle puisse atteindre depuis la faute originelle.

LXI.

Bien que le communisme soit réprouvé, comme système légal, autant par la saine raison que par la théologie, et qu'on ne soit pas fondé à prétendre qu'il ait été établi au sein de la primitive Église de Jérusalem, il est néanmoins certain que la conduite des chrétiens de cette Église nous montre jusqu'où peut aller par les libres sacrifices de la charité, la communauté fraternelle des biens, et qu'elle nous offre un type dont les sociétés chrétiennes doivent chercher à s'approcher autant que le permettent les conditions diverses et compliquées de la vie des grandes nations.

LXII.

La souveraineté temporelle du S. Siège repose sur un ordre supérieur à l'ordre où s'exercent les autres souverainetés temporelles; elle est providentiellement constituée en vue de l'accomplissement de la mission générale conférée à l'Église pour l'enseignement, la direction spirituelle, et la réparation, par le Christ, de l'homme et de la société; d'où il suit qu'aucun des pouvoirs de la terre, soit populaire, soit monarchique, ne peut avoir le droit d'en disposer.

LXIII.

Toute prescription du législateur humain revêt le caractère de loi en tant qu'elle relève de la loi naturelle. Il s'en suit que dans la prescription qui s'écartera en quelque point de cette règle, ce ne sera plus, à proprement parler, de loi qu'il s'agira, mais de corruption de la loi (1).

LXIV.

Toute disposition légale qui interdirait au prêtre de faire, dans l'exercice de son autorité sacerdotale, la critique des actes de l'autorité civile, est en contradiction avec le principe de l'art. 14 de la Constitution belge.

LXV.

Le droit de grâce ne saurait s'exercer constitutionnellement avant que l'autorité judiciaire n'ait rendu, sur l'application de la peine, une décision irrévocable.

(1) Voir S. Thomas, 1. 2, q. 95, art. 2.

LXVI.

La faculté de tester, en y posant certaines limites, et, pour la ligne directe au moins, le droit de succéder ab intestat, sont de droit naturel.

LXVII.

La qualité de Belge s'obtient, dans l'hypothèse de l'art. 9 du Code civil, avec effet rétroactif.

LXVIII.

Le ministère public peut faire poursuivre la déclaration judiciaire de la parenté naturelle, afin de faire obstacle au mariage du degré prohibé.

LXIX.

Les mots *erreur sur la personne* de l'art. 180 C. c. ne s'appliquent pas uniquement à la personne physique.

LXX.

Le refus de l'un des conjoints de procéder au mariage religieux après le mariage civil peut être considéré comme une injure grave donnant lieu à la séparation de corps ou au divorce.

LXXI.

L'enfant renonçant ne conserve point son droit à la réserve.

LXXII.

La maxime : *En fait de meubles possession vaut titre* ne s'applique point au manuscrit.

*Vidit S. Facultas Theologica.*


J. T. BEELEN, S. Fac. p. t. Decanus.

H. G. WOUTERS, S. Fac. p. t. a Secretis.

*Vidit Rector Universitatis.*

P. F. X. DE RAM.

# INDEX.



	Pag.
PROOEMIUM.	VII
CAPUT I.	
DE VI MOMENTI HISTORICI IN QUÆSTIONE DE UNIVERSITATIBUS STUDIORUM.	1
CAPUT II.	
DE VOCIS <i>UNIVERSITAS</i> ALIARUMQUE IN RE NOSTRA ADHIBITARUM VI PROPRIA.	16
CAPUT III.	
TRADUNTUR ALIQUORUM AUCTORUM CIRCA STUDIORUM UNIVERSITATES DEFINITIONES ET DESCRIPTIONES.	29
CAPUT IV.	
DESCRIBITUR ANTIQUÆ UNIVERSITATIS EXEMPLUM.	68
I. <i>Fundatio antiquæ Universitatis Lovaniensis.</i>	70
Inchoatio et notificatio studii generalis oppidi Lovaniensis.	76
II. <i>De summo Universitatis moderamine, et quinam sub ipso constituerentur.</i>	82

	Pag.
§ 1. De tribus præcipuis Universitatis dignitatibus.	82
<i>a.</i> De Rectore.	<i>ib.</i>
<i>b.</i> De Cancellario Universitatis.	87
<i>c.</i> De Conservatore Privilegiorum Academiæ.	88
§ 2. De corporibus pro tota Universitate regenda constitutis.	95
<i>a.</i> De Senatu academico.	<i>ib.</i>
<i>b.</i> De Consilio Rectoris.	97
<i>c.</i> De Tribunali quinque Judicum Appellationum.	99
§ 5. Qui pro veris Universitatis suppositis sint habiti.	100
III. <i>De facultatibus.</i>	105
IV. <i>De conditione scholarium, de collegiis ordinariis, et de religiosis et canonicorum collegiis Universitati unitis.</i>	115

## CAPUT V.

QUODNAM PROPRIE INTER VARIA UNIVERSITATUM GENERA INTERCEDAT  
DISCRIMEN.

— 121

§ 1. F. C. Savigny.	125
§ 2. Chr. Meiners.	127
§ 3. Car. von Rotteck et Car. Welcker.	145
§ 4. J. A. Möhler.	157
§ 5. F. J. Busz, Hasel, J. M. Häusle, Fr. Hettinger.	169

## CAPUT VI.


## DE JURE ECCLESIE CIRCA STUDIORUM UNIVERSITATES COMPETENTE.

185

APPENDIX I.	205
APPENDIX II.	257
THESES.	241







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

# TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
								
								



